


Paul Anton


De Avctoritate Ecclesiae Qva Mater Est, Positiones Theologicae ex Hos. II. vers. 2. Pontificiis oppositæ

denuo recusæ, & hinc inde ultimo illustratæ vna cum additamentis apologeticis, Halæ Magdeburgicæ: Excudebat Christoph. Andr. Zeitlervs, A. MDCCXIII. mense Iulio

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876369271>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. 6. 8. 11. 68#

1. Breithauptii Dissertat: I. de Perfectione Partium

Ejundem observat: Theologicus de Hæresi
Ejundem Dissertat: de Incrementis in Doro et Nalo
in originalis Lichtscheidii.
de Nervi: Pelagianismi.

Animadversiones selectæ ex Actibus probatissimis ad denuo
quorundam opinionum in ecclesia refutandas.

Exercitatio exegetica in Epistolam S. Pauli in Titum.
de vera Dei verum Sacramta Notitia

2. Antonii Exercitatio Theologica de Redemptione Christi per Lytron.

Ejundem Meditatio Theologica de communicatione Divina propagatione
religionis christiane sub cruce.

3. Breithauptii $\epsilon\pi\omicron\tau\upsilon\mu\epsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma$ $\epsilon\psi\chi\alpha\iota\omicron\upsilon\sigma\tau\omega\upsilon$ $\lambda\omicron\gamma\iota\upsilon\varsigma$ S: Forma Sanctorum
Ejundem Dissertat: de concubitu a Christo verborum.
et Apophtis prohibito.

Dissertatio II de Perfectione Partium.

Observationum Theologicarum de Conventibus B. Lutheri in
Galatas Exercitationes X.

Dissertatio Syncretica Adami primi et Secundi
ex dicto 2 Cor: 7. 21. exhibens. in argumentis
observationes Theologicæ de Imagine Dei
de Notis candidiorum S. Mensevi
de Nexu communicationis nostræ cum Deo
in originalis Zeroldi.

de Angelis in Matth: XVIII. 10. in originalis Bayeri

de Myserio unionis fidelium cum Deo et Christo
in originalis.

de precum christianaum veritate

de Vocatione primaria et secundaria

de Vita Christi in fidelibus in galat: II. 20.

$\pi\tau\epsilon\lambda\tau\omicron$ $\tau\omicron$ $\tau\eta\varsigma$ $\nu\epsilon\tau\epsilon\beta\epsilon\alpha\varsigma$ $\pi\tau\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$ S: de Ado,
ptionis Spiritu. in originalis Meuseri.

176
Fa-1092(68)

Breitkampff Animadvagationes exegeticae dogmatico-practicae
in Epistolam S. Pauli ad Galatas.
de Indis Theologicis, in argumentis Lyfii.
Animadvagationes exegeticae dogmatico-practicae
in Epistolam S. Pauli ad Philippenses.
Antonii Trubatus Theologicus de Natura et gradu in Materia
de virtutibus.
Observationes Theologicae de conversione Samaritanorum
ad Christianismum ex Joh: 1V.
de infirmi haerensia fidei, quae iustificat et quatenus
iustificare dicitur ex libris Symbolicis.
de Superstitione iulibet pontificii imperio Bullae unigenitae
Innocentii XII. in argumentis de Lith.
Trubatus Theologico-Naturalis de genuino principio
abitionum Christianorum.
Scribitur Historico-Theologicus in varia Rationalismi
et Rationalismi capita.
de Estimacione rationis humanae theologicae.
de Libertate Christiana Aphorismi Evangelicis
de Pathos Lutheri Animadvagationes Historico-Theologicae
advocatus Cardinal: Pallavicinum et alios Historiographos.
de odio poenitentiarii.
Prologum Repetivum Lib. Theolog. S. Chemnitii
de Ostra Mali hujus profundissimi in homine receptio
Aphorismi Theologici.
Speculegium Historico-ecclesiasticum ex Praefat: S. Lutheri
in libros veteri Testamenti.
Consideratio Theologica contritionis salutaris.
de Autoritate Ecclesiae, quae Mater est, positiones
Theologicae ex Hof: 11. 2.
Dissertatio de qualitate fundamentorum.
Bona Meditationum biblicarum, una de Immanuele
ex Math: 1. 18. altera de Christo dicitur
libris confitentis constituta ex Joh: 11. 2.
Exercitio Historico-Theologica de vita Harmonis
Epistropi Huldbradiensis.

Verte

Antonii Dissertatio de Spiritu Modestationis occasione
dicti 2 Timoth: 1. 7.

veritas christianae Religionis ipsis iudicium
obstructionibus confirmata expeditur.

Breithaupti Theses Theologicae de Myseris concis
et utraque epistola ad Corinth: potissima derivatur

Antonii de *quodam* fidelium

DE
AVCTORITATE
ECCLESIAE

QVA
MATER EST,
POSITIONES THEOLOGICAE

ex Hof. 11. vers. 2.

PONTIFICIIS oppositæ,

ac

PRO LICENTIA

impetrandi supremum in Theologia gradum

Summe Reverendæ Facultatis jussu

IN ACADEMIA LIPSIENSI

A. O. R. M D C X C. d. XVII. & XVIII. Sept.

ad publicam THEOLOGORVM ΣΥΝΗΤΗΣΙΝ propositæ

à

M. PAVLO ANTONIO, Sitta-Lusat.

SS. Theol. Baccal. Colleg. Maj. Princ. Collegiato, &
Diecef. Rochlicienfis Superintendente.

denuo recusæ, & hinc inde ultimo illustratæ
vna cum additamentis apologeticis.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

A. M D C C X I I I. mense Julio.

Excudebat CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERVS, Acad. Typogr.

AVCTORITATE
ECCLESIAE

MATER EST,

POSITIONES THEOLOGICAE
EX HUIUSMODI
PONTIFICIS OPPOSITIS

PRO ACADEMIA
INSPECTORII UNIVERSITATIS

IN ACADEMIA THEOLOGICA
MAGISTRI

AD PULVICAM THEOLOGICAM
MAGISTRI

M. PAVLO ANTONIO, SIBI IURE

SS. THEOL. BACAL. COLLEG. MAG. PULVIC. COLLEG. MAG.
BACAL. ACADEMIAE SUPERINTENDENTE

DAVIDE SCHULTZE, S. THEOL. BACAL. COLLEG. MAG. PULVIC. COLLEG. MAG.
BACAL. ACADEMIAE SUPERINTENDENTE

HAB. MAG. PULVIC. COLLEG. MAG.

Excussit CHRISTOPH. ANDR. XEILERS, Acad. Theol.



B. C. D.



Onscripturo mihi de auctoritate ecclesiae, *quatenus mater est*, tantum saltem, quantum fortassis ad praesens sufficit (occasione dicti, quod Veneranda Theologica Facultas ipsa * Lipsiae mihi in pleno confesso proposuit notabili temporis periodo, censura etiam a *singulis* Theologiae Professoribus, tum viventibus, instituta pro more) praetari nihil lubet, nisi quod B. Cornelio Beccero, Lipsiae ad Nicolai aedem Pastori, apud Rochliciensis autem meos dexterimo antehac, ut quaedam testantur publica monumenta, archidiacono, *Licentiam*, quam vocant, assumendi Doctoratus Theologici, vna cum B. M. Georgio Weinrichio, ad D. Thomae ibidem Pastore & Superintendente, nec non Theologiae Professore Publico, ambienti, idem fere argumentum, *de auctoritate nimirum ecclesiae in Scripturis interpretandis & dijudicandis de religione controversis,*

A 2

A.D.

* Si placet, inspicere ob circumstantias singulares potest scriptum meum, Iena postea in officina Bielkiana A. 1693. excusum, *Zusführlicher Bericht wieder den Unsug* p. 8. 9. 12. 13. 14. 22. 32. 33. 34. 48. 75. (9. 87. 93. 95. 96. 91. 99. 110. 119. 121. 127. 138. *Inspectionur quoque preces penitentiales, in Gothano & Altenburgico districtu publicata eodem anno 1690, d. 19. Dec.*

A. D. 1597. d. 9. Jan. publice defendendum fuisse, ab optimo amico Rochlicienſe comperi. Gratum mihi fuiſſe C. Becceri nomen vel ex eo, quod eodem hunc loco, quo me tunc docere juſſit diuina prouidentia, iam tum per nouem annos ante, & quod excurrit, docuiſſe didicerim, haud equidem diffiteor: id tamen præcipue rebus meiſum viſum fuit ſeruire, quod laudatiſſimo viro *poſitiones*, ut titulus habet, *de autoritate eccleſiæ &c.* publico examini *pro licentia ſimplici breuitate* ſiſtere licuerit. Ita enim quid impediēt, quo minus eadem conſcribendæ diſſertationis ſimplicitas & in me, qui cetera *poſitiones* meiſas, *Spiritus Pontificio* oppoſitas, *Beccerianis illis poſitionibus* æquiparari acumine non poſſe agnoſco ipſe, toleretur beneuole.

Textus ipſe apud Hoſeam II, 2. ſic habet:

יָבוֹ בְּאֵמְכֶם יָבוֹ בְּיָדַי לֹא אִשְׁתִּי וְחַנּוּכֵי לֹא אֲשֵׁרָה
וְחֶסֶד וְחֶסֶד מִפְּנֵיהֶם וְנִחְפְּזֵיהֶם מִבֵּין שְׂדֵיָהּ:

Quem Vulgatus interpres reddit:

Judicate Matrem veſtram, judicate: quoniam ipſa non uxor mea, & ego non vir ejus. Auferat fornicationes ſuas a facie ſua, & adulteria ſua de medio uberum ſuorum.

Tu autem, benigne Pater, da, quaſo, ſeruaque nobis ſanctum adoptionis ſpiritum, ut nihil te Patre, nihil eccleſia matre, nihil nobis Filiis indignum ſentiamus unquam aut faciamus. Amen.

§. I.

Dicendis ante omnia *Exegeſis* dicti, ceu fundamentum, ſubſternenda eſt, ad quam ſi nihil pertineret amplius, quam mere *Grammatica* verborum evo-
lutio

lutio, illa ferè hic in Propheta, qui cetera quoad constructiones reliquis omnibus censetur esse impeditior, prætermissa, ad ipsius causæ dijudicationem accingi statim licuisset. Nostri enim versiculi in se solis spectata vocabula, nihil difficultatis habent, sed & nexus cum versiculo antecedente & verborum singularis efficacia, & totius Prophetiæ Hoseanæ Systema, præmitti quædam ad argumenti, quod tractare suscepimus, confirmationem iubent.

§. II.

Incidit nimirum Hoseas in pessima Jeroboami filii Joas Regis Israelis tempora, qui vestigiis Jeroboami filii Nebat constanter insistens malum faciebat coram Domino 2. Reg. XIV, 23. seqq. Hac vero Regis impietate, quod fieri adsolet, maxima pars *populi*, quin & ipsius *Clerici* abripiébatur. Quod idem Propheta noster Capitis IV. & V. initio pathetice eloquitur: *Audite Verbum Domini, filii Israel, quia judiciũ Domino cum habitatoribus terræ, non est enim veritas, & non est misericordia & non est scientia Dei in terra. audite hoc, Sacerdotes, & attendite, domus Israel, & domus Regis, auscultate, quia vobis judicium est.* Neque tamen caterua hæc malignantium moneri sustinebat, aut a fidelibus adhuc Doctoribus fratribusque corrigi; quod querula voce Hoseas cap. IV, 4. habet, *Veruntamen vir non contendet, & non redarguet vir.* Verbum itaque Domini factum est ad Prophetam Hoseam, ut pœnarum etiam, Principibus, Sacerdotibus, Populoque infligendarum, interminatione, ad fidei vitæque puritatem reducere tentaret, interspersis more prophetico, in fidelium maxime gratiam, suauissimis de statu Ecclesiæ lætiore promissionibus; quod notavit optimus reformator noster Lutherus in præfatione super Hoseam: *Man spüret drinnen so viel / wie er die*

49
48

zwey Amt reichlich und getrost getrieben hat / erstlich
 daß er wider die Abgötterey zu seiner Zeit hart gepre-
 diget hat / und das Volk frisch gestraffet hat / samt dem
 Könige / und seinen Fürsten und Priestern / daran er
 den Tod gewißlich / wie die andern / hat gefressen / und
 als ein Ketzer wider die Priester / und als ein Aufrühr-
 rer wider den König / hat müssen sterben. Denn das
 ist ein Prophetischer und Apostolischer Tod / so hat Chri-
 stus selbst müssen sterben. Zum andern / hat er von
 Christo und seinem Reich auch gewaltiglich und fast
 tröstlich geweissaget. Cont. ejusdem Lutheri præfatio co-
 piosior Tom. II. Altenburg. f. 593.

§. III.

Nexus cum antecedente versu primo, aut secundum
 Codices quosdam v. 3. *dicite fratribus vestris, populus meus*
Ec. pulcherrimus est. Eo enim Deus fideles jubet *fra-*
tres suos nominare *populum suum*, adeoque illos pro veris
 filiis Ecclesiæ omnino agnoscere, qui per veram fidem fi-
 lii Dei viventis (de quibus cap. I. secundum vulgarem ca-
 pitum partitionem) cooptati essent. Bene Coccejus in
 h. l. *Dei voluntatem esse, ut ubicunque reperiant idem semen,*
nimirum spiritum Dei, & eandem regenerationem, ibi non
dubitent recognoscere consortium cum sanctis in regno ipsius
& dilectionem Dei. - - Ex eventu cognoscimus, mentem Spi-
ritus S. esse in hac prophetia, fore ut Deus aliquando manife-
sto argumento testetur, quod cives suos & dilectos velit æsti-
mari ex sola regeneratione Spiritus S. fraternitate spirituali.
Quatenus autem futurum erat ut quidam aliter existimarent,
qui præter fidem etiam observationem ceremoniarum exige-
bant, quoad illos verba Prophetiæ habent sensum increpatio-
nis. Maxime vero in Antithesi infidelium gloriantium in
carne, habet hæc sententia definitionem divinam, quod illi non
 propter

propter generationem carnalem populus Dei reputandi sint. Jam enim præiudicatum erat, non esse populum Dei, qui non sunt filii Dei vivi. Postquam igitur Deus auctor factus est recipiendi omnes filios Dei pro populo Dei & iis hoc nomen appropriandi, quod tamen vulgo vindicabant sibi Judæi, quia erant ex Patribus (quæ sunt ejusdem Cocceji verba.) Nostro versu de altero agitur fidelium officio, quo iidem contendere cum matre sua jubentur; vel si strictissime loquendum est, unicum contendendi officium h. l. injungitur. Quod & haud dubie Venerandum Senem D. D. Seb. Schmidium permouit, vt horum versuum sequentem faceret nexum sensumque: *dicite fratribus vestris, populo meo, & sororibus vestris, ei quæ misericordiam consecuta est. Contendite cum matre vestra - si vultis vt pænæ prædictæ non veniant super vos, rem ipsi curate vestram, & agite apud matrem vestram, si saltem vos liberos suos audiat, & ferte alteri alter manus, vnanimiterque vos ad opus cohortamini - contendite nobiscum cum matre vestra, vt remoueat scortationes suas.* Vidit enim exegeta celeberrimus, quorsum tota vis concionis propheticæ tendat. At in hoc est inter Coccejum & Schmidium sententiarum differentia, quod hic versu 1. credit excitari fratres & sorores ad faciendum illud, quod demum nostro versiculo 2. legitur, vt adeo reuera vnum versum in Analyfi logica constituat, ille vero etiam in analysi logica duos versus retineat. Salvis aliorum judiciis, Propositionem Logicam facit textus noster, quæ per longum satis contextum in sequentibus deducitur, priore versiculo (*dicite fratribus vestris &c.*) inter promissiones, quibus cap. I. Hofæ clauditur, & capituli II. argumentum palmarium, qui stylus apud prophetas haud est infrequens, interjacente. Nam עמי & ארמי retrospiciunt ad cap. I. vt docet inspectio, & obseruauit
Coc-

DE AVCTORITATE ECCLESIAE

8
Coccejus, nec non Rabbi quidam à Kimchio in h. 1. allegatus. Imperatius autem ריבו (*contendite*) sono & argumento suo reprehendendæ matri valde asper & ingratus, præcedente suaviore imperatuo אמרו (*dicite fratribus vestris, populus meus*) commode præparatur mitigaturque, vt constet, quos censura feriat, quosue secus. Quam ipsam sententiam in animo habuisse Coccejum, vix dubito. Nam etsi verba ejus duplex officium fidelium, agnoscendi aliquos pro populo Dei, alios autem coarguendi, describere primo aspectu videantur, videtur tamen docendi tantum & distinguendi gratia populariter locutus fuisse; Siquidem non modo *dicite fratribus vestris* ad præcedentia strictim refert, sed etiam versum nostrum, *contendite, indirecte tantum oppositum existimat versiculo præcedenti, si eum accipiamus ut increpationem eorum, qui contendebant cum fratribus suis, quos non volebant recognoscere pro populo Dei.*

§. IV.

Connexione jam pro captu nostro (libertatem judicandi omnibus æquis lectoribus relinquentes) definita, faciliorem invenimus textus nostri analysin. Res ipsa, quæ imperatur, est: *contendere cum matre sua, Rei faciendæ causa: quoniam ipsa non vxor mea, & ego non Vir ejus. Finis est: vt auferat fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum.*

§. V.

Actus rei describitur verbo ריבו quod forense est, vt & Hoseæ IV, 4. cujus nomen apud eundem Hoseam IV, 1. מִשְׁפַּחַת רִיבֵי לַיהוָה עַם-יִשְׂרָאֵל Hof. V, 1. occurrit. LXX. fontes hic accurate secuti, κρείσσειτε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν, reddiderunt, quemadmodum & ex Hof. IV, 1. allegata verba κείσῃς τῇ κυρίῳ πρὸς τὰς κατοικῶντας

τας &c. V. 1. **מִשְׁפָּטֵי הַכֹּהֵן** per *διότι* πρὸς ὑμᾶς ἐστὶ τὸ κριμα.
 Quid? quod & Prophetæ Michæ vocabulum hoc tam em-
 phaticum visum fuerit, vt illud ter in vno capitis VI. præ-
 loquio vsurparet. (1.) **קִים רִיב אֶת הַהָרִים** LXX. ἀνά-
 σταθι κριθῆτι πρὸς τὰ ὄρη. (2.) **עֲמֹשׁ הָרִים אֶת רִיב**
לְהָרִי ἀνάστατε ὄρη τὴν κρίσιν τῶ κυρίω. (3.) **כִּי רִיב לִיהָרִי**
עֲמֹשׁ LXX. ὅτι κρίσις τῶ κυρίω πρὸς τὸν λαὸν αὐτῶ. Vul-
 gatus vertit: *judicate*, Lutherus: *predcht das Urtheil* / Pi-
 scator: *Redhet mit eurer Mutter/rechtet*. (I. B. Carpz.
 in tribus conc. pœnit. Norinbergæ 1672. excusis p. 140.
 145-156-205-256.264.)

§. VI.

Quia itaque verbum **רִיב** forense est, supponitur 1) accurata inquisitio, ne ulli fiat injuria, quam inquisitionem gerendæ liti esse adeo necessariam, vt contendens *pruue cum seipso* litiget, mirum in modum probat locus Proverb. XII. **צְדִיק הָרִאשׁוֹן בְּרִיבוֹ** i. e. *Iustus, antequam disceptare incipiat cum alius iisdemque exprobrare vitia, prius litigare incipiat cum semetipso, ita vt inquirat in propriæ sententiæ, consuetudinum, morum factorumve probitatem, id quod ratione sensus commode expresit vulgatus: JUSTVS PRIOR EST ACCVSATOR SVI.* interprete B. Geiero, immortalis viro memoriæ, cujus expositionem egregie illustrant LXX. **λίμαι** ἐαυτῶ κατήγορ ἐν πρωτολογία. Ergo nostrum **רִיבו** quod communiter vertunt *contendite*, non est litis *contentiosæ*, aut inordinati clamoris vel censuræ præcipitis, quæ neminem decet, nedum liberos erga parentes, sed actionis veluti forensis, quæ sine sollicita & absque omni partium studio instituta inquisitione iusta esse non potest. Quæ si recte se habet, facilis est (2.) convictio, causæ evictio, τὸ ἐξελέγχειν, τὸ διελέγχειν. Unde in Hosea nostro tot accumulatur argumenta, quibus demon-
 B stratur,

1
49
48

stratur, quam inique Clerus populusque Israeliticus, corripendi causa negata, se defenderint, cap. IV, 4. imo in ipso nostro textu argumenta suppeditari incipiunt, quibus mater profuturæ dignitatis suæ convinci queat.

§. VII.

Ita demum rite sequitur ipse actus judicialis ריב, quem expressit Lutherus: *sprecht das Urtheil/ Vulgatus: iudicate.* Ita demum fit quod vult Servator Joh. VII, 24, *την δικασαν κρισω κρινατε* inquires. Ita demum quieta est corripientium conscientia, & contra adversariorum calumnias munita, ut Christus iterum ait: *η εαν κρινω δε εγω, η κρισις η εμη αληθης εστιν.* Joh. VIII, 16.

§. VIII.

Non autem frustra ingeminatur vox imperativa, ריב ריב, *contendite, contendite*, quod cur Lutherus non attenderit ignoramus. nam 1.) innuitur rem serio agi, instandum esse rumpendasque moras, libere indefinenterque, *ευκαιρως ακαιρως*: etiam si eventus non usque adeo votis responsurus oculis vestris videatur. 2.) innuitur acrimonia quædam, *απροσωποληψια*, & facta cum affectu ad jus vocatio, *quia*, quæ est Casparis Sanctii Glossa, *judicium illud cum gravi objurigatione ac spiritu indignationis futurum est.* Unde mirum non est, ejusmodi correptiones à plerisque corripendis pro actu injusto, temerario, clamoroso, litigioso, vel etiam plane seditioso haberi. Sunt auctores qui τὸ ריב exponunt per expostulare, rixari, jurgare: Quæ vocis acceptio si huc quadraret, quod nos quidem non videmus, *μηνησιν* involveret, quasi diceretur; etsi actio vestra pro jurgio, calumnia & indebita contentione habebitur in oculis rem vel non intelligentium vel moneri nolentium, tamen contendere volo. Rectius Chaldaeus verbo ריב seriam hujus generis reprehensionem exprimit. Apoc. 2, 20. sq.

§. IX.

§. IX.

Evoloto jam actu judiciali, quibus injungatur, lustrandum est, nimirum vi relatorum generatim evocantur, qui sunt filii, (filii autem & mater mutuo se inferunt.) Speciatim, qui de suo matrisque bono curam habent, & tantæ rei gerendæ sunt idonei secundum leges, quibus actum judicialem §. VI. ex indole phraseos ipsiusque rei circumscripsimus. Lubet Seb. Schmidii sententiam ascribere: *Mandatum datur populo Israelitico, fratribus & sororibus, ut alter alterum adhortetur ad contendendum cum matre sua, si saltem liberos suos audiat. Ita ut dicamus* (sequitur autem mentem R. Davidis Kimchii) *singulos constitui concionatores, qui totum populum & publice redarguant p. 44, 46, 47, 48. Jubentur singuli, qui sibi bene esse cupiunt, accusare palam mala facta gentis totius, ut communes pœnas evadant. Grotius apud Polum in h. l. Hinc non est, quod cum Chaldæo paraphrasæ ad solos Prophetas restringamus hoc officium, sed cum Prophetis seu Doctoribus quotquot adhuc fideles supersunt, fideles reliqui jungere zelum suum debent. Illud non omittendum, advertit Sanctius ad h. l. sæpe Deum hominum judicio expendendum permittere, quod ipse sumserit sumpturusve fuerit inclementius aut durius de aliquo peccato supplicium. Quasi judicium ita sit æquum & rationabile futurum, ut nemo in illo aliquid deprehendat contra rectum & fas, tunc vero magis apparet æquitas & clementia, quando illis etiam, qui bene in reum sunt animati, aut quibuscum graves sint amoris ac necessitudinis causæ, nihil judicant supra reorum merita fuisse decretum; quales sunt filii, si forte illorum judicio commissa fuerit parentum causa. &c.*

§. X.

Pergimus cum Propheta ad corripiendos ריבו באַמַּכּם contendite cum matre vestra. Chaldæus רִבּוּ לְכַנְשֵׁתָא re-
B 2 pre-

prehendite Synagogam. Sebast. Schmidt: *mater est totus populus* (tota gens, supra Grotius §. IX. *tota Ecclesia*, Tarnovius) *sicut filii & filiae singulae personae. figura Prosopopoeiae est: cujus sensum D. K. hunc recte facit: REDARGVITE ALTER ALTERVM VT REVERTATVR IN VIAM BONAM* p. 48. juxta eundem v. 5. ⲙⲏⲛⲏ eadem est quae ⲙⲁⲛ est itaque iterum, pergit Schmidius, *Synagoga seu corpus populi*, p. 55. 152. parum abest ab ipsa re Cocceji opinio, qui per matrem multitudinem patrum carnis intelligit, vel coetum praesidium & principum populi, qui sunt patres secundum carnem. *Quemadmodum, ait, multitudo filiorum appellatur filia* (ut filia Sion, filia Babel & similia) *ita multitudo patrum carnis mater appellabitur. Frequens scripturae multitudinem nomine singulari feminino notare.*

§. XI.

ⲙⲁⲛ cum matre VESTRA, cujus veluti matris salutem gloriamque asserere tenemini, cujus salus periculumque in vos aequè redundare potest, sed quae nunc proh dolor! non tam mater pia & fidelis est, quam esse debebat, (salvo tamen illo λεϊμματι κατ' ἐκλογὴν χάριτος), inter vos adhuc residuo.) Vnde videmus non juberi striete loquendo contentionem cum ipsa matre Ecclesia, qua matre, sed cum eo coetu qui vel mater esse debebat, vel plerisque talis esse videbatur; quod observavit etiam Joh. Schmidius in h. l. p. 99. conf. Tarnovius p. 53. Vel etiam, quod plurimi Doctorum & Auditorum, id temporis auctoritatem matris Ecclesiae & Patrum dignationem in fastum, superciliumque errare nescium, convertebant Jerem. XLIX. 18. confer. sis Seb. Schmidium in Hof. IV. p. 148. seqq. 190. seq. & p. 270. 271. 380. 381. Vult ergo Dominus matris ejusmodi auctoritatem publicae omnium calamitati cedere debere. Quod si vero mater, eo quod mater vestra sit, corrigi

rigi à vobis nolit, debitæ autoritatis *limites* migrasse cen-
sendam, adeoque monendam esse. Deut. XXXIII, 9. 10. 8.
1 Reg. XV, 13.

§. XII.

Hactenus *rem ipsam*, prout in textu invenimus, suf-
ficiat evoluisse; progredimur ad *causam & finem rei*; bre-
viores tamen futuri, cum fundamenta *controversiæ*, quam
occasione textus ventilare me Veneranda Facultas Theo-
logica voluit, magnam jam partem præstructa fuerint.
Causam vero *justi elenchi* continent hæc verba: כִּי הָיְתָה
אִשְׁתִּי לֹא אִשְׁתִּי וְאִנְכִי לֹא אִנְכִי Quoniam ipsa non est uxor mea, &
ego non vir ejus. Quibus & *materia* seu *summa litis*, su-
per qua *contendere* debeant, continetur. Phraseologia ex
c. l. nata est, adeoque valent contra abusum *maternitatis*
facta, quæ *matrimonii & desponsationis mysticæ* *leges* de-
struunt *fœderales*; *Emphatica* enim est *reciprocatio omis-*
si debiti uxorii retrahendæ promissionis à sponso factæ *ju-*
re talionis, ut sic loquamur, *innixa*, qualis collectio est
Hoseæ I, 9. וְאִנְכִי לֹא אִנְכִי לְכֹסֶם Vos
non *populus meus*, & ego non ero vobis. sic Hol. IV, 6. Quia
tu *scientiam repulisti*, repellam te, ne sane *sacerdotio funga-*
ris mihi, & *oblitus es legis Dei tui: obliviscar filiorum tuo-*
rum & ego. Sic Hol. V, 5. Malach. II, 9. & passim, vid. Seb.
Schmidium in Hoseam p. 23. & 48. Notandus autem studio-
se est *verborum ordo*. Non ait Dominus: *QUIA NON EGO*
MARITVS EIVS, NEC ILLA VXOR MEA; sed sic inquit:
QUIA ILLA NON VXOR MEA, & deinde demum subjicit:
NEC EGO MARITVS EIVS. Quo *verborum ordine* Deus
palam ostendit, *causam spiritualis divortii* non esse à se, sed
ab uxore seu *matre filiorum Israel*, inquit Johan Schmidt in
h. l. p. 99. conf. Tarnovium p. 53. & 58. Quo respexisse
etiam in nostro textu videtur Chaldaeus, cetera *literam de-*

וְאָמַר לָהּ אֵיךְ הִיא לִּי מִתְעַנֵּי בְּפִלְחָנִי וּמִימֹלֵי
 ; לֹא מִקְבֵּר צְלוֹתָהּ ; & dicite ei, ecce ea non decenter re-
 spondens cultui meo & verbo meo, non accipiens (ego) preces
 ejus. Adeo non contradicitur hac causa promissionibus
 matri Ecclesiae factis, qualis est capite nostro II. v. 19. us-
 que ad finem, ubi iterum suavissime respondent: & dicam
 non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet: Deus meus
 es tu. Vicissim promissiones, catholicae Ecclesiae matri
 factae, non obstant, quo minus particulares Ecclesiae, etiam
 florentissimae, (Carpz. c. l. p. 154.) faciem si videas, admo-
 neri a filiis queant, & pro re nata castigari acriter, ac repe-
 tendarum quasi postulari.

§. XIII.

Finis est וְתָסֵר זְנוּנֵיהָ מִפְּנֵיהָ וְנִאֲפִיפֶיהָ מִבֵּין שְׂדֵיהָ Vul-
 gatus in תָּסֵר (quod & Lutherus fecit) omisit & vertit
 ita: auferat fornicationes suas a facie sua & adulteria sua de
 medio uberum suorum; Lutherus: Heisset sie ihre Hurerey
 von ihren Augen weg thun/ und ihre Hurerey von ih-
 ren Brüsten. Chaldaeus paulo aliter verbis simul ad u-
 lum tropologicum translatis לֹא מִקְבֵּר צְלוֹתָהּ עַד
 וְתִעָרֵי עֹבְדוֹתָהּ בִּישְׁתֵּי מִקְבֵּר אֲפֵהָ וּפְלִחָתָן מְעִוְתוֹתָהּ
 מִבֵּין קְרוֹחֶיהָ Non suscipiens preces ejus (ego) usque dum
 auferat opera sua mala a facie sua, & cultum errorum suorum
 ex medio urbis suae. LXX. interpretes plane personam mu-
 tant, hoc modo: καὶ ἐξαγάγω τὴν πορνείαν αὐτῆς ἐκ προσώπου μου,
 καὶ τὴν μοιχείαν αὐτῆς ἐκ μέσων μασῶν αὐτῆς. Nos obseruamus
 circa vltima haec verba 1) τὸ ἰ finale in וְתָסֵר esse per
 hic explicandum, conf. Jonæ I. II. (quamvis & hic Septu-
 aginta Hellenistico more καὶ retinuerint.) 2) complecti τὸ
 ἰ desiderium boni eventus ex parte Dei, & eorum
 qui ejus sunt; ut exponi possit h. m. si forte, quod inten-
 ditur, eveniat, ut removeat scortationes suas. Quod de-
 fideri;

fiderium aliquo modo latet etiam in τὸ ἕβ Chaldaei, utpote quo innuit, expectare Deum donec ἕβ finem correctionis filii isti obtinuerint; quo facto iterum se *preces* ejus exauditurum esse promittat. conf. hujus ipsius capituli vers. 7. 16. 17. & c. VI. 15. VII. II. Forfan hæc consideratio *divinæ* ad conversionem matris *via* movit LXX. ut Deum introducerent loquentem: καὶ ἐξαρώ τὴν πορνείαν αὐτῆς, ἐκ προσώπου μου, καὶ τὴν μοιχείαν αὐτῆς ἐκ μέσσω μασηῶν αὐτῆς, hoc sensu: *Et Ego faciem gratiæ & conniventia meæ auertam a scortatione eius, ut tandem videat quæ sit ipsa, nempe nuda.* vers. 3. quid commiserit, quid amiserit, quo in bonam reuertatur viam, nisi forte LXX. τὸ ἐξαρώ ex v. 17. anticiparunt. Apoc. 2, 21. 20. 9. 14. 15. 23. 3.) Verbum טורר magna lectorum ædificatione repetitur vers. 17. וְהִסְרוּתִי אֶת־שְׂמוֹת הַבְּעָלִים מִפִּיהָ καὶ ἐξαρώ, ut significetur, intendere & desiderare Deum totalem secessionem ab omni idololatria, etiam vsque ad nomina Baalim. Zeph. 1, 4. Hinc 4.) Emphasin suam, habent duo pluralia זְנוּנִיָּה & בְּאִפְרַיִם omnes idololatriæ species, & actus, cum omnibus pigmentis, illecebrisque, denotantia. 5.) quid sibi velint זְנוּנִיָּה & בְּאִפְרַיִם בֵּין שָׂרָה & בְּפִנִּיהָ disquirere hic non vacat. Quibus hæc nosse volupe est, coniungant cum רוֹק & רוֹשֵׁי Dieterici Antiquit. Bibl. V. T. in h. l. p. 722. usque ad p. 726. Nobis ad *institutum nostrum* sufficit, scripturam non tantum *crassos* actus adulterii & scortationis remoueri velle, sed & ab iis recedere vel abstinere debere Ecclesiam, qui ad crassos illos sensim sensimque deducunt; si quidem sponsa Christo digna, & mater Israelis censerī cupiat. debebat enim *facie* sua non *fucata* prælucere filiis & *ubera* puro lacte Evangelii tumentia ipsis præbere. Nam quæ pudesceri non vult, ne *seipsam* pudetaciat necesse est, qui egregius est

est locus apud Malachiam II. 7. 8. 9. *Nam Labia sacerdotum custodient scientiam, & quærent legem ex ore ejus, nam Angelus Domini iste (est). Et vos recessistis ex via, impigistis valde in lege, perdidistis fœdus Levi, dicit Jehova Zabaoth. Et etiam dedi vos contemptos & exiles omni populo, quemadmodum vos non custodientes vias meas, & opponentes facies vestras contra Legem.*

Applicavit suo tempore Selneccerus (Carpouio c. l. p. 27. laudatus) in Ps. XII, 2. f. 43. a. post Lutherum T. 1. Ien. G. f. 247. b. 144. a.

§. XIV.

Et hæc est qualiscunque propositi loci *exegeſis*, quam nunc commode & naturali fluxu excipiunt, *Positiones Theologicæ de autoritate Ecclesiæ, qua mater est*, paulo post *Spiritui Papistico* diserte opponendæ, quæ licet locorum communium instar proponi in *synthesi* possent, boni tamen ordinis regulam ex ordine textus, cujus iam data fuit *analysis*, æque bene obtinebunt.

§. XV.

Ex cohærentia vers. 2. cum 1. §. III. ostensa deducimus (1) *Correptionem Ecclesiasticam temperandam esse exceptione fratrum sororumque fidelium*, vt Ecclesiæ adhuc ipsi, eiusque membris viuis, sua constet autoritas, suum relinquatur semen bonum, nam imperatium asperio-rem: *contendite*, mitigat *antecedens imperatium: dicite fratribus vestris* וְדַבְּרוּ. Excipi nimirum debent, qui excipi possunt, & separari, quoad eius fieri potest, innocentes a nocentibus, v. g. qui *ex quadam animi simplicitate errant*, nec tamen *blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt*, confundendi non sunt (docente prætatione libri concordiæ) *cum ipsis erroribus & eorundem pervicacibus Doctoribus & blasphemis*. Ostendere oportet, etsi hi, quibuscum merito

rito contendimus, non sunt *de ecclesia*, & ex Deo patre, quo modo adhuc fit in aliis, licet in paucis & ignobilibus, aut esse possit, *Dei Ecclesia*. Quam in rem lectu dignissimus est, mei in Christo Patris Dn. D. Phil. Jac. Speneri libellus *der Klagen über das verdorbene Christenthum Mißbrauch und rechter Gebrauch / darinnen auch ob unsere Kirche die wahre Kirche / oder Babel / und ob sich von derselben zu trennen nöthig / gehandelt wird*. Vide eiusdem *Bedencken* T. 3. p. 933. 792. 967. T. 2. p. 279. Interim cum quandoque Sanctorum tam pauci sint, vt plerorumque fugiant oculos, fieri solet, vt correptio, rhetorice, quasi vniuersalis esset, & omnes citra exceptionem vllam tangeret, prolata, synecdochice, pro plurimis, videlicet numero & autoritate sua reliquos obsuscantibus, sit intelligenda, vt ex ipso Hosea, dum totum Israellem plus vice simplici compellat, manifestum; cum tamen *eum ipsum* Israelitam fuisse dubium non sit; vt accommodare huc liceat illud Pauli: *καὶ γὰρ ἕνα Ἰσραηλῆτις εἶμι* Rom. XI, 1. 7. IX, 1-5. Plura eiusmodi Synecdoches exempla Chrysostomus *Homil. I. in Epist. ad Titum*, & Henr. Höpferus præcipue (fini nostro conuenienter) in *Saxonia Evangelica Sect. I. c. VII. p. 41. 42. 43. 46. 377.* collegere. Ratio etiam non est nulla, cur toti Ecclesie vulgo adscribi soleat doctrina, quæ per ministerium publice docetur, legenda in Musæi *tract. de Ecclesia P. I. p. 193. P. II. p. 51.*

§. XVI.

Ex eadem cohærentia colligimus 2.) *Ecclesie maternitatem, singulis Dei filiis, iisque genuinis, fraternitatem manere*; id quod probatur ex *אמר להחייב*. Insignem Cocceji locum hac de re supra §. III. allegauimus. Male fecerint, qui ideo minus reverenter Doctores haberent publicos,

C

blicos,

blicos, ὅτι ἀδελφοί εἰσι. (accommodando illud 1. Tim. VI, 2.) Sed non minus male fecerint Doctores, qui vllum fratrem, quod pater non est, despiciatui habere, aut fraternitatis jura minuere communia conati fuerint. Adeo omnes sumus in vno Patre, vno verbo, cujus ipsa Ecclesia filia est, in communi fide & de fide sensu, fideique bonis, vnum, in communi causa & periculo etiam communi vnum. *ἐν ἑνὶ θεῷ ἑνὲ ἐλεῦθε*; vt vario respectu fratres inuicem sumus omnes, nec vlla ecclesia vel ecclesiae ministerium maternitate sua juri fraternitatis spiritualis catholico derogare debeat. Eccl. LIV, 13. Malach. II, 10. Matthæi XXIII, 8. 9. 12. Act. VII, 2. vbi patres & fratres suauiter coniunguntur. Gal. IV, 19. 28. 31. coll. c. III, 28. Col. III, 11. 1 Tim. V, 1. Philem. v. 10. 16. 1 Joh. II, 17. Jacob. II, 1. 1 Cor. XI, 22. Chrysostomus *Epistolæ ad Titum* f. 1696. edit. Commelin. Macar. *de perfect. c. 9.* B. Kettnerus *Seelenspr.* p. 121. sq. Seb. Schmid in *epist. ad Coloff* p. 17.

§. XVII.

3.) Idem Seb. Schmidius ex *fraternitate*, quatenus jus gignit debite corripiendi, tres format positiones seu, ut ipse vocat, locos communes, ex verſ. 1. Loc. I. *Justum piūque fratribus sororibusque est, vt fratres & sorores suos, siue naturales siue supernaturales, ad omne bonum cohortentur.* Loc. II. *Fratres sororesque fratribus & sororibus suis ad omne bonum cohortantibus ita obedire, vt monitis eorum obediant, nulli omnino illis pudori est.* Loc. III. *Quinimo vtrumque, h. e. tam cohortari fratres ac sorores, quam fratribus & sororibus cohortantibus obedire non tantum justum piūque, sed etiam pertinet ad officium populi Dei, & eorum qui misericordiam Dei consecuti sunt.* quorum porismatum e textu probationem subiecit dexterrimus Theologus pag. 96. *Comment. in Hoseam.* quam inspexisse neminem poeni-

pœnitebit. cont. Joh. IX, 34. & famosum scriptum Unfug c. 2. §. 2. vna cum responso Speneri ad hoc scriptum p. 60. 61. & epistola ad D. S. B. Carpzovium, quæ legitur Consil. Lat. P. 3. p. 401. sq.

§. XVIII.

4.) Sequitur inde, *piam matrem omnes illos libenter pro filiis & fratribus suscipere, & in familia sua habere, quibus pater cœlestis dicit: filii Dei vivi*, אמרו לאהיה עמי. Ipsa Ecclesia, in se spectata, filia verbi est *gratiosè adoptata, ipsa misericordiam consecuta, & mere gratiosè in fœcundam aliorum matrem diuinitus electa.* Joh. XV, 16. Pl. C. 3. Neminem ecclesia Dei valide ex albo suo vel matricula quasi expungit; aut morti adjudicat efficaciter; vel etiam opprimi a falsis fratribus, aut abscindi a corpore suo spirituali patitur, quem *verbum Domini* absoluit & jubet vivere, filiumque renunciat. Hof. I, 10. coll. Rom. IX, 26. Ezech. XIII, 18. 22. Zachariæ V, 3. Esaia LXVI, 5. Psal. CIX, 31. Rom. VIII, 12. 33. XIV, 3. Luc. VI, 22. 23. Joh. IX, 34. Act. X, 15. 47. coll. Act. XI, 9. 17. 3. Joh. vers. 10. Maneat vulgaris ille versiculus:

Non DEVS huic PATER est cui non ECCLESIA MATER. Sed &, quam sit iste cum grano salis accipiendus, agnoscunt nostri in omnibus fere systematibus & libellis methodicis. Qua occasione familiarem *Judæis gentilium contemptum* notare placet, cum tamen ecclesiæ N. T. fœcunda maternitas per vocationem *gentium* fuerit promissa Psal. LXXXIV, 7. seqq. Pl. LXXXVII, 4. LXVIII, 27. 30. 32. CII, 19. 23. Esa. XLIII, 6. Esa. LX, 4. conf. 1. Cor. XVI, 36. August. L, 5. confess. c. 5. §. 3. Bernh. serm. 23. in Cant.

§. XIX.

יבירי ריבירי Supra §. VI. supponere diximus accuratam inquisitionem, & ex inquisitione oriundam iterum convi-

tionem. Ex inquirendi necessitate fuit 1.) illa positio, quam ad locum Proverb. XIII, 17. solicite tradidit meritisimus de Ecclesia Christi Theologus B. Geierus. *Frustra enim contendet cum matre, aut etiam fratribus sororibusve, quantumvis corruptis, qui prius non contendit cum seipso, seipso prius rigoroſe non examinato*, Jac. III, 1. 1. Petri III, 15. 16. 1. Tim. IV, 16. In re tam graui & ardua vtique ad orbem clamoribus cominouendum non ſufficit nuda ſuſpicio vel coniectura: quod de Presbyteris, in munere, calumniis patris mendacii obnoxio, verfantibus, inculcauit Apoſtolus 1. Timoth. V, 19.

§. XX.

Viciſſim 2.) *ipſa Mater Eccleſia inquire in doctrinam & paedagogiam ſuam publicam non renuit*, cum ejus ipſius interſit, certo dignoſci a matre ſcortationum & a conſortio cum illa. Adeoque ipſa, bene ſibi conſcia, quatenus quidem bene ſibi conſcia eſt, vult examinari diligenter. Venit ultro in lucem, vt manifeſta ſiant ejus opera, & cum rite probata fuerit, teneriore amore, cultu reuerentiore, & conſtantiori fide, ac rationabili obſequio, a filiis ſuſcipiatur ſuſpiciaturque. Joh. III, 20. 21. 2. Cor. I, 12. Nouit pia Mater carnis ignauæ & malicioſæ (a qua, ceu leuitatis omnis parente, ſunt omnis generis hæreſes & idololatriæ Gal. V, 19. 20. Hof. VIII, 12.) inſidias. Nouit, naturaliter vnumquemque bene præſumere de cœtu viſibili, in quo natus & educatus eſt; naturaliter etiam placere hominibus ſecurum ſub alienæ curæ fiducia ſomnum. Ergo excitat ipſa potius ſuos fidelis Eccleſia ad inſpectionem ordinatam ſui ipſius, ex Tabulis ſcilicet *matri-
monialibus*; cogitans rem hanc multo majorem eſſe, quam quæ in manus ſuas, vel aliorum hominum tradi, bonæ præſumptionis *obtentu*, debeat. Rom. XVI, 18. 19. Jerem. XVII,

XVII, 13. 18. V, 31. 1 Cor. X, 15. 2 Cor. XI, 20. 23. 2. Theff. II, 10. Boni etiam ecclesie ministri character est, momentes patienter audire.

Quæ in D. Schelwigii synopsi artic. 5. qu. 13. p. 75. de ecclesia matre traduntur, quo tendant, manifestum sit ex eiusdem P. 2. Selectis p. 73. 26. ubi illa ipsa Spenero opponuntur; sed perperam, ut ex Speneri verbis, ab ipso Schelwigio ibi enotatis, videre licet. Conferatur Speneri scriptum von der Freyheit der Gläubigen p. 9. Quia vero Schelwigius in his non acquiescit: animum prodit insultandum, simulque incautis præbet materiam declinandæ ad peregrinas de matre ecclesia hypotheses. Nec nisi captiose supponitur scrupulosa exploratio. Cavendum quoque, ne negando novam explorationem buc rapias prætextum rei iam iudicatæ.

§. XXI.

Porro 3.) Mater Ecclesia in exquirendis aliorum erroribus ratione bona studiose utitur, audit haud grauatim excusationes, nec veritatem, quam laxioribus odio esse, mirum non est, ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligit. A. C. p. 20. Vulgi certe rumores neque temere susque deque habendi, neque tamen pro idonea arbitrandi causa accipiendi sunt, sed si tale quid audiatur, וְרַשָׁעִים וְחַקְרָה וְשֹׂאֵף Deuter. XIII, 13. Matth. 18, 15. 16. 17. 18. Pf. 50, 20. 16. 8. 5. H. Varen. præf. P. 1. pro Arndtio.

§. XXII.

Deinde רִבּוּי convictionem supponere diximus. Convictio autem fit ex tabulis, quæ Augustini phrasis est, matrimonialibus. quapropter ponimus 1.) Ecclesiam iure matris supra verbum Patris efferre se non posse, sed vt sponfam ab ore sponsi maritique amice pendere debere. nam si v. g. Scripturæ sensus soli matris iudicio adstrictus esset, Ecclesia neminem convincere posset, nisi sua ipsius autoritate, (quod suspectum est) neque ipsa posset dignosci,

44
48

an sponsa & vxor casta, vel scortum & adultera sit, neque etiam vlla Ecclesia vnquam iure correpta fuisset. Quamobrem aliquoties haecenus docuimus, ipsam Dei Ecclesiam Deo Domino suo e verbo natam esse ex femine incorruptibili, ipsam ex mera misericordia sponsi voce euocatam viuificatamque, cui adeo subiecta manet in perpetuum 1. Petri I, 12. 23. Lucae II, VII, 35. 22. 23. 28. 29. 2. Cor. XIII, 8. 10. Non male C. Beccerus in praelaudatis positionibus: *Parenti soboles uti vitam, ita & reuerentiam debet & obsequium. Nullo ergo iure ad Ecclesiae arbitrium sese Scriptura accommodabit. Mater est Scriptura, filia Ecclesia, secundum illud 1. Petri I, 23. Posit. 86. qua de re infra pluribus.*

§. XXIII.

2.) Vnicum adhuc, ex requisita per *tabulas matrimoniales* convictione colligimus: *Ecclesiam filios & fratres, non seruos, ad libertatem generare, non ad seruitutem, Gal. IV, 25-31, 1. Cor. VII, 23. De filiis Ecclesiae N. T. legitur Es. LIV, 13. erunt omnes Θεοδιδαστοι. Jerem. XXXI, 34. 1. Cor. XIV, 36. Nisi enim Dominus ipse Doctoris & praeceptoris officio fungatur, nihil eorum quae ipsi gratia, nobis autem & aliis salutaria sunt, discemus F. C. p. 660. 662. 668. coll. Joh. VI, 45. 46. Haberet autem Ecclesia seruos, si suis, seu docentibus seu discipulis, nisi parendi gloriam & caecam obedientiam, velut partem quandam pietatis filialis & abnegationis sui ipsius, in rebus fidei relinqueret. Quid? quod qui credit propter auctoritatem humanam, qua sola se convinci constringique finit, quamdiu ita credit, fide adhuc humana credit, non divina, adeoque nec saluifica. Neruose D. Seb. Schmi- dius ex Hoseae I, 1. colligit: *Quisquis non credit scripturae sacrae propter scripturam sacram, eiusque de se testimonium,*
aut*

aut fide tantum humana, quæ saluare non potest, credit illam, aut Enthusiasmum expectare cogitur. p. 32. Intelligimus denique facile, religionem, quando hæc circa DEUM pure colendum expiandumque versatur, sola diuina autoritate regi, quæ & sola, quo pacto propitiari digne velit, & propter seipsam coli, definire potest. (Sermo in præsentia est de iis, quæ Religionem constituunt, non quæ circumstant eam exterius, sine ullo cum internis nexu.)

§. XXIV.

Ingeminata vox actus judicialis ריבו ריבו consecratoria præbet sequentia. 1.) *Temporis corruptionem non omit- tendæ causam esse, vel dissimulandæ differendæve correptionis, sed potius festinandæ.* Quanquam modum agendi leges prudentiæ regunt, non humana illius, quæ, quatenus humana est, quia res diuinas non adeo interius in corde suo curat, propter eas incommodum subire non vult, sed diuinæ & Christianæ, quæ præcipue precibus exoranda est. Probamus hanc positionem ex temporibus, in quæ Deus Hoseam nostrum reseruauerat, quibus neminem etiam redargui velle Propheta dolebat. vid. supra §. II. At quid iubet oraculum? ריבו ריבו q. d. Vel ideo festinanda est actio aduersus matrem, quia status in medio ecclesiæ gremio est exulceratissimus, & omnis famioris consilii impatientissimus. Periculum in mora est. Repete illud Pauli *εὐκαιρῶς ἀκαιρῶς* ex 2. Tim. IV, 2. 3. ad quod respeximus supra §. VIII. Hic observamus, Paulini hujus dicti, cur *εὐκαιρῶς ἀκαιρῶς* instandum sit, rationem esse a temporis ratione petitam. *ἔσαι γὰρ καιρὸς* inquit, *ὅτε τῆς ὑγιαίνουσας διδασκαλίας ἔκ ἀνέξονται.* Esa. XXX, 8 9. 10. sq. Ephes. V, 15. 16. Joh. VII, 6. 7. 32. Joh. IX, 4. F. C. p. 24. verbis: si correxissent eos in tempore & p. 51. præsertim hoc tempore &c. p. 232. in hac occasione

p. 390.

p. 390. & 591. *His enim postremis TEMPORIBUS non minus necessarium est ut homines ad recte & pie viuendi rationem bonaque opera invitentur, atque moneantur, quam necessarium sit, ut ad declarandam fidem atque gratitudinem suam erga Deum in bonis operibus sese exercent, quam necessarium est cavere, ne bona opera negotio justificationis admisceantur. Non minus enim homines Epicurea persuasione de fide, quam Pharisaica & Papistica fiducia in propria opera & merita, damnationem incurrere possunt. Hoc, hoc est, inquam, piis nostris maioribus seruire tempori, & vere tempestiue agere. conf. Spen. Natur und Gnade/ p. 163. sq. nec non tr. HERNSCHMIDIANUM, eodem titulo inscriptum, Cap. 8. P. 2. §. 12. 7. 15. C. 7. P. 1. §. 3. 5. C. 6. P. 2. §. 9.*

§. XXV.

2.) *Ultero ex dictis sequitur, timorem carnalem non minus, quam alias animi passiones malas, aliaque naturæ praua consilia, respui ac exui debere Jer. 1, 8. 17. XVII, 16. 17. Ezech. II, 6. III, 9. Matth. X, 37. Joh. IX, 22. XII, 42. 43. 2. Tim. 1, 7. 8. II, 15. I. Petri III, 14. 15. et Bernh. Hoptnerus in Saxonia Evang. p. 236. 377. edit. A. 1672.*

§. XXVI.

3.) *Coincidit celeberrimi Hülsemanni cautela, solum probabilem metum infructuositatis (quem supposuerit Christus, Matth. XII, 15. 16.) non liberare ab officio correctionis, imo obligari a fortiori subditos, curam gerere pro cavendo damno spirituali superioris, quanto plurius Ecclesiæ & Reipublicæ interest, Rempublicam saluam esse. Tr. de corrept. fratern. p. 6. 21. 34. 35. Kettner. c. 1. p. 140. sq. conf. Ezech. II, 5. 7. III, 21. 27. XXXII, 36. 43. 49.*

§. XXVII.

Tandem 4.) *concludimus, ex eventu infallibiliter iudicari-*

dicandum non esse, cum optime cogitata interdum pessime accipiantur a mundo, permittente justo Dei iudicio. *scimus aliquid offensionis esse in schismate, sed nostræ conscientie tutissimæ futuræ sunt, postquam scimus nos summo studio concordiam constituere cupientes non potuisse placare adversarios, nisi manifestam veritatem projiciamus, nisi cum ipsis conspiremus: Ipsi viderint quo modo Deo rationem reddituri sint, qui pertinacia sua causam schismati præbent.* F. C. p. 37. 44. 247. 313. 630. Imo ipsi Apostoli præcauere non poterunt, quin ex ecclesiæ gremio multi antichristi exurgerent.

§. XXIIIX.

5.) Adhuc ex actu Judiciali ריבו ריבו quatenus a-crem objurgationem includit, Porisma elicimus; non quidem, quod ad vilius contumeliam, Satyrice aut litigiose vel iracunde agendum sit, 1. Petri III, 15. sed, ut modus corrip-
endi externus idem ubique & semper apud omnes sit, neque consultum neque necessum esse Act. VII, 1. 51. Judæ vers. 22. 23. Gal. IV, 19. 20. Quia vero contendendum inaniter non est, discrimen habendum est, inter non necessarias atque in-
utiles contentiones, quæ plus destruunt quam ædificant, ne iis Ecclesia perturbetur; & inter necessaria certamina, quan-
do tales controversiæ incidunt, ubi de articulis fidei aut præ-
cipuis partibus Christianæ doctrinæ agitur, tum enim ad ve-
ritatis defensionem necessario contraria & falsa doctrina est
refutanda F. C. p. 637. 148. Cum hæc consuetudo usque ad-
eo inveteraverit, ut vix unquam ex animis hominum evelli
possit, & hæresim statim esse oporteat, ubi verbulum aliquod
immutatum fuerit. F. C. p. 499. 231. Conf. Matth. XII, 7.
Joh. VIII, 16. Rom. XIV, 17. 18. Galat. V, 20. 2. Tim. II,
14. 23. ad Titum III, 9. 1. Cor. XI, 16. Hof. II, 12. Cant.
I, 5. Hofæ illud רוב ליתורו עם ישיב הארץ Lutherus

D

notan-

notanter reddit: Der Herr hat Ursache zu schelten. Conf. Menzerum T. VI. dispp. Giessens. f. 206. & Autorem libri *de ecclesia* (Neapoli Nemetum A. 1596. editi) p. 66. item Speneri Rettung der Evang. Kirche. p. 42-45. 75. 96-102. 105. 125. T. ult. consil. Germ. P. 2. p. 59. 63. 65. 68. 98. P. 1. p. 137. P. 3. p. 183.

§. XXIX.

De *Subiecto*, quod corripere potest & debet, necessaria jam notavimus §. IX. Subnectimus hic 1.) Παράδοξον quidem, sed revera absurdum hic non esse, moneri matrem a filiis, compellari, corripri, & pro re nata in actionem quasi vocari & conveniri. nam ne priuatæ quidem matri filius obedientiam citra omnem exceptionem spondere potest. Matth. X, 37. Deut. XXXIII, 9. 10. Col. IV, 17. Finge, matrem naturalem, quæ fornicatione jus maternitatis non amittit, non posse a prole argui: Non dum ideo ad matrem spiritualem fornicariam & prolicidam immane hoc privilegium redundauerit. Dedit Tabula II. Decalogi autoritatem parentibus, sed in ordine ad Tab. I. quæ autoritate sua nullatenus minui debet, & propter quam reliqua autoritas omnis instituta & agnoscenda est.

§. XXX.

2.) Iterum placent Loci communes, ex hoc versu a toties laudato & nunquam satis laudando D. Seb. Schmidio deducti. Loc. I. *Liberos etiam parentes cohortari ad bonum, & debortari a malo, cum modestia quidem, pium est: Quando autem per mandatum Dei autoritas liberis accedit, seuere etiam contendere cum parentibus licet.* Loc. II. *Turpe quidem est parentibus, indigere correptione vel admonitione liberorum, quos illi admonere & corrigere deberent, quando tamen pie, iuste vel jussu etiam Dei id liberi faciunt*

faciunt, lubentius, quam si ab aliis id fieret, obedire debent. Probationem ex textu Lector rursus habebit p. 96. Nos ad illa Schmidii verba (*contendere cum parentibus LICET*) animadvertimus, Schmidium non modo licentiam, sed & debitum, atque officium corripiendi agnoscere, quod cum peccato negligeretur, pag. 47. & 96.

§. XXXI.

3.) *Qui corrigit secundum §. IX. corripiat pro mensura donorum, ut motum bene animatae charitatis, officii vel iustitiae, comitetur zelus secundum scientiam. Adeoque indignus erit Ecclesiae filius, qui sola fide implicita, & fundata super aliorum autoritate bona praesumptione, vivere se posse credit. Quo pacto enim corripere quis possit, qui, quid corripiendum sit, ipse non intelligit, quantum satis est. notanter dicimus, quantum satis est; Nam ut quis corripiendi jus habeat, non requiritur, ut ab omni apparatu eruditionis, alias in suo pretio merito habendae, instructus sit, sed ut discernere queat, quae dogmata vel facta oeconomiam salutis, vel in se, vel in aliis conuellant, seu, ut Petrus loquitur: τὴν ἐν ἡμῖν ἐλπίδα*
i. Petri III, 15.

§. XXXII.

4.) *Autoritate sua Mater Ecclesiae mutuum hortandi corripiendique officium in filiis promovere potius & consiliis juvare serio, quam turbare debet, propter autoritatem divinam e textu, praesente Seb. Schmidio, supra §. IX. clare ostensam, imò etiam propter retinendam sui ipsius puritatem; cum Ecclesia sit multitudo fratrum, quorum impuritas & matrem maculat. Act. 2, 40. 47. 3, 25. 26. 9, 31. 15. 3. 4. 12. 24. 38. 40. 16, 4. 5. I. Cor. 14, 24. 25. 39. 3. Joh. v. 6. 9. 10. F. C. p. 320. 348. 351. Carpz. JugendSpr. p. 444. 147. 149. sq. 178. sq. 314. sq. 321. 359. sq. 569. 587. 589. 594. 597.*

770. 779. 774. 781. sq. 943. sq. 961. 1125. Adeo hoc vrget Hülsemannus, vt neque *presumptionem de presentia alterius corripientis magis obligati*, (*nisi quis probabiliter certus sit, eum jam defunctum, aut certe defuncturum esse officio suo*) neque *diversitatem status & vocationis in Rep.*, liberare inaequales ab officio correptionis scribat, Tr. de corrept. fratern. p. 6. 21. 34. 35. 55. Propter Hoseam, quem in iuuentute ministerium suum incepisse interpretes volunt, addimus diserte, aetatem iuuenilem a iure & debito monendae matris, ceteris paribus, prorsus excludi non posse Psalm. CXIX, 99. 100. Hiob. XV, 10. Sap. IV, 7. VIII. 9. 10. 11. 14. Cor. XVI, 10. 11. 1. Tim. IV, 12. Hof. VII, 9.

§. XXXIII.

Denique 5.) tenetur alter pro alterius salute, & pro veritate ad alios propaganda excubare. Est quidem contra naturam Religionis, vt quis pro altero cultum diuinum exercendum in se recipiat, translatis in se omnibus rationibus, ab altero alioqui pro se ipso reddendis, hoc sacrorum plane incurioso, ac nihilo minus ex alterius opere fructum percipiat. Cuilibet priuato per se pro seipso apud Deum patrem, qui a singulis λογικῶν exigit λειτουργείαν, nomine suo dignam, respondendum ad publice praescriptam normam, & viuendum est fide tua, quolibet nostrum nascente & renascente tibi. Verum enimvero contra naturam Religionis non est, alterius pro alterius religione cura, ministerium, preces, bonique supernaturalis, quod nosmet ipsi bonum esse cognouimus, sedula ad alios traditio. Potius uti inter homines nihil frequentius est, quam vt, quod officium uni incumbit, in altero itidem obligationem pariat: ita & circa religionem contingit, vt is cui ex idonea conjunctione cura incumbit circa for-
mandum alterius animum, teneatur quoque operam dare, vt
idem

idem super sano circa numen sensu imbuatur, & ad hoc rite colendum proclivis fiat. Quae quidem cura naturaliter neminem propius tangit quam parentes circa liberos suas; unde & originarie sacerdotium cum munere paterno ac patrum-familias est conjunctum. Et sic ea pars officii paterni non alio modo exercenda est, quam in dolens propaganda religionis admittit, i. e. non vim intentando, sed docendo, hortando, obsecrando, iram Dei denunciando. Verba sunt viri acutissimi Sam. Pufendorffii libro singulari de habitu Religion. Christ. ad vitam civilem §. IV. conf. Lutheri T. VI. Altenb. t. 800. locum cum 1. Cor. XIV, 31. 32. Col. IV, 16. 17. 3. 6. 1. Theff. 5, 11. 13. 19. 27. L. 1. 7. 8. 2, 3. 16. 2. Joh. v. 1. 4. Jungi possunt observationes nostrae ex historia colloquii Christi cum muliere Samaritana, seu de conversione Samarit. §. 54. sq. & diff. sub praesidio nostro habita de ονομασία fidelium §. 21.

§. XXXIV.

Obiectum mater est; ubi notamus, 1.) quod matris vocabulum in se bonum sit. Vnde Matris Ecclesiae vocabulo, quod & in scriptura sacra, nostro credendi agendi loquendique principio, fundamentum, & in illustrando integro de Ecclesia articulo usum suum habet, abstinere nolunt Evangelici propter Sophistarum abusum, cui metaphoricæ locutiones sæpe sunt obnoxiae. Quin potius eam ipsam ob causam, ut abusus & pravae opiniones tollantur, vera de hoc negotio sententia ex sacrarum literarum fundamentis proferenda atque proponenda est. certe Doctores Israelitarum plurimos matris patrumque titulo abusos fuisse ex textu nostro & Matth. XXIII, 9. 12. constat. Nihilo tamen secius, etiam post abusum, Scriptura phrasin, in se innoxiam, certo modo retinet. loca sunt Pf. XLV, 17. Es. LIV, 13. Gal. IV, 26. 1. Cor. IV, 15. Lutherus

quoque in catech. mai. artic. 3. symb. Apost. p. 497. *Hac mater est, hac quemlibet Christianum parturit ac alit per verbum* &c. item p. 443. sq. Varen. P. 1. pro Arndtio p. 332. sq. Speneri *Ubereinstimmung* p. 27. sq. 80. 82-85. 100-109. 115-125. 219. 224-226. Vetus cantilena in quibusdam Ecclesiis Evangelicis canit in specie de potestate Clauium: *Die Kirche trägt sie (die clauies) an ihrer Seite / die Hausmutter der Christenheit / & sic passim.* Aliud iudicium de *Sponsi* vel etiam spiritualis *capitis Ecclesiae* titulo, quem præter Christum, nudo homini, in quantalibet autoritate constituto, tribuunt adulatores, ferendum est. Nam iste nullum fundamentum in sacris habet, & adeo nullum plane vsum iustum.

§. XXXV.

Notamus 2.) quod *Matris* vocabulum assignetur Ecclesiae præcipue propter opus regenerationis, ut est in debita operatione erga filios constituta vel constituenda, & includit præter fideles congregatos ministerium publicum, concurratque utique ad aliorum siue cœtuum siue individuorum regenerationem, sed non aliter nisi organice. Nam fidem ipsam, quæ supernaturalis est & vitæ spiritualis initium, nemo nisi Deus, tractu vivifico & virtute sua infinita, in homine accendere potest & accendit. Homines autem dicuntur propagare fidem, quando conferunt quod eorum est officii, plantando & irrigando, ut semen aut medium fidei applicetur hominibus. unde illi, dante Patre, ἐξ ἑκαστοῦ πατρὸς ὀνομάζεται, concepta fide numerum fratrum fidelium sub ipsa cruce, volente & benedicente Domino, augeant. Ad idem fundamentum doctrinæ de regeneratione τὸ 77 Psal. LXXXVII. 4. revocat B. Geierus in h. l. Similem Cocceii locum vide supra §. 3. Distincte Lutherus noster de loco Esaiæ LIV. 1. 5. *Propheta utraque*
con-

coniungit, & verbum vocale & Spiritum. Ecclesiam vocat matrem, quæ parit filios, & tamen constat, Ecclesiam non posse dare Spiritum S. Parit ergo per ministerium externum verbi, cui adest Dominus. -- Ergo quia dicit (propheta) esse filios Ecclesie, significat adesse quoque spirituale verbum. sic igitur hæc distinguenda sunt: Audire habemus ab Ecclesia, credere a Domino, verbum a MATRE: Spiritum a PATRE. vocem a prædicatoribus: vim & efficaciam a Spiritu S. T. IV. Witteb. Lat. t. 287. coll. Job. VI, 45. 46. Et ad Brentium A. 1530. d. 26. Aug. Lutherus ex Pathmo Coburgensi: Hoc donum Dei in te singulariter amo & veneror, quod iustitiam fidei tam fideliter & sincere urges in omnibus scriptis tuis. Qui solus locus ecclesiam Dei gignit, nutrit. &c. Non Brentium, sed Spiritum prædico. &c. Vide similia in diss. de Vita & doctrina Haymonis, episcopi Halberst. sub Præsidio nostro habita, P. 2. §. 28. 29. 38. 40. 41. 46. 50. Non ergo sibi, vt sibi, sed soli Deo vindicat natos in sinu suo filios, natos ex semine Dei, non suo: & quæ dispensat bona Ecclesia, non sunt bona ipsius propria. Non ex Ecclesia regeneramur, sed in Ecclesia. Locus conceptionis est Ecclesia, nidus est. (Psal. LXXXIV, 4.) vterus est, sinus est, (F. C. p. 496.) Materfamilias est, (Die Hausmutter der Christenheit vid. §. præced.) præbet renatis hospitium & alimenta ex officio. complexus est credentium altrixque, noui hominis susceprix, obstetrix, nutrix, deponitorium verbi veritatis & conservatrix: non mater ecclesia est Religionis ipsius, quæ ante fuit quam esset Ecclesia & ciuitas, non procreatrix fidei, sed ministra & index, sed testis veritatis, sed nuncia, bajularia, bibliothecaria, & quæcunque illi elogia alia alio aliove respectu tribuenda sunt Pl. CX, 3. Es. XLIII, 6. Es. LIV, 1. 5. 13. Jerem. XXIII, 1. Ezech.

DE AVCTORITATE ECCLESIAE

XVI, 20. XXIII. 4. 37. XLIII. 7. 2. Cor. XI, 2. Gal. IV, 19.
 (Lutherus T. vi. Altenb. f. 793.) Neque aliud vult Spiritus S. in textu nostro, iubens contendere cum matre, nisi vt intelligat, se non fecisse rem, propter quam mater, audit, nempe propter opus *regenerationis*, vnde c. V. Hoseæ 7. querela insequitur: בַּיהוָה בָּגַדוּ כִּי בָנִים זָרִים יָלְדוּ
 Sie haben gar zu treulosß gehandelt mit Gott / indem sie auch frembde Kinder gezeuget haben / quo de loco plane ad institutum nostrum commentatur Seb. Schmid. p. 223. 224. 247. 248. Quis autem *crucis* usus *pædagogicus* sit in genuina *propagatione* rei Christianæ, ex veris documentis *ecclesiasticis* demonstravit sub eodem præsidio nostro Dn. Lamp. Gedicke *diff. de diuina propagatione religionis Christianæ sub cruce.*

§. XXXVI.

Quia tamen hominum prædicantium errores, puro verbi diuini semini admixti, in ipsam regenerationem non influunt, sed vel absque effectu apud aliquos euanescent, vel in cor omnium non penetrant; & Verbum DEI per hoc, quod falsa admiscentur, non desinit esse Verbum Dei, & semen veritatis: Concedimus quidem 3.) Deo filios in corrupta etiam Ecclesia, non qua parte corrupta est, sed qua parte purum adhuc semen verbi Dei habet, generari posse & generari. Vbi enim, quæso, nisi in corrupta tum ecclesia, nati erant & renati illi fratres, quos Deus iubet cum matre contendere? conf. Ezech. XVI, 20. XXIII, 4. aut cur diceretur מַמְכָּרָה? Infra autem Thesin hanc ad Hypothesin transferemus cum nostratibus, iisque magno numero: præmonentes tamen h. l. non probari istorum leuitatem, qui, cum audiunt, posse adhuc Deum in corrupto cœtu seruare sibi semen aliquod, parum differre putant, cui se cœtui adiungant.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

4.) *Immanis saltus esset ab autoritate matris ad potestatem herilem seu despoticam, unde qui potestatis maternæ vel paternæ obtentu abutuntur ad dominium conscientiæ, sibi ipsis ex matris titulo respondere facile poterant, cujus sint Spiritus filii; qualis ratio respondendi per inuersionem latet in ipso textu, Contendite cum matre vestra, i.e. indicate matri, quid per maternitatem habeat, ut intra iurium maternitatis terminos & officium se contineat.*

§. XXXVIII.

Denique 5.) *accurate loquendo nunquam contenditur cum ipsa matre Ecclesia, qua tali, cum cathedra Mosis ipsa, cum ipso ministerio Ecclesiastico; sed potius cum iis qui sub Ecclesiæ honestissimæ matronæ larua, rem suam priuatam agentes, fidei morumue doctrinam adulterant, cultum diuinum eneruant, venerabili Religionis, cathedræ Mosis, Ecclesiæ, ministerii, orthodoxias, nomine, pro libidine sua, miseros decipiunt & exterrant, moneri nolunt, clavem scientiæ ad se rapiunt, conscientiarum dominatum affectant, qui aliis numero & valore suo videntur representare Ecclesiam, qui simpliciores, ad latam illam viam seductos, ad idem adulterium compellere variis officiis iustinent. Nam si veram Ecclesiam Deus corripere voluisset, cur fratrum prius & sororum meminisset? Ergo contendit vult cum matre fornicaria. conf. Hosea VI, 5. VIII, 12. Esa. XLVIII, 1. 2. coll. LVII, 3. Jer. XLIX, 18. 1. Cor. XI, 16. XIV, 16. Prudentes & veri ac fideles Ecclesiæ patres, autoritatem sibi factam tectamque volunt, rebus bene gestis pro Domino & grege, Mal. III, 7. 8. 9. Marc. VI, 23. 2. Cor. IV, 2. 1. Tim. IV, 12. sqq. 1. Petr. V, 3. F.C.p.390. Pariter prudentes*

E

pii-

pūique filii Ecclesiae, personas ab officio, officium a personis diligenter distinguunt, prouidentes, ne per se in effraenem licentiam solvantur inquieta & male feriatia ingenia. Utrumque pro viribus declinandum est, & conscientiarum seruitus & licentia; & excessus & defectus autoritatis. F. C. p. 350. Spen. Leb. Vfl. 1. Th. p. 125. 122. Freyheit Der Gläubigen p. 9. 11. 29. 60. 79. 109. 119.

§. XXXIX.

Ex causa rei seu materia elenchi, §. XII. excussa, fluit 1.) *Deum Matri autoritatem dedisse propter officium*, siquidem ad praestandam cum effectu obligationem autoritate opus est. nequit enim a docente fieri officium, nisi *facultate* quadam argendi, *fini* consequendo apta, polleat. Sane non debuisset contendi cum matre a filiis, si mater statui suo institisset; sed elenchi, qui alias cum autoritate pugnare videtur, *causam* allegat Deus, *quia*. Quam bene itaque nonnulli ex quarto pracepto Decalogi, quo firmatur parentum autoritas, parentum deducunt *debita*: nobis pariter hic ex agendis seu mandatis functionibus argumentari ad eorum jura licet. Et adeo etiam v. g. quia Ecclesia *debet* generare Deo filios, *debet* genitos alere, nutrire, confirmare, *debet* a veneno arceri: ergo *jus* habet mediis ad officium faciendum necessariis utendi, & baptismo, examinibus catecheticis, commentariis ad finem scripturae facientibus, scholis tanquam *seminariis*, scriptis ad verum usum Ecclesiae directis. elencho, legis usu, potestate clavium, vocando *patres* spirituales, disciplina seu *paedæa* materna, magistratus Christiani ceu *nutricii* imploratione, bonis artibus, omnibus linguis studiisque, *opus regenerationis* & renovationis in Spiritu S. promovendi. Si quæras, quo modo exequi jura sua, rebus gerendis adaptata, *debeat* Ecclesia,

fia, respondemus iterum simplicissime, *modum* exequendi debere intelligi ex præscripto modo faciendi officium. Quod autem respectu ipsius Ecclesiæ, in officio constitutæ, ejusque ministrorum, *debitum* est: id respectu mei, labore patrum fruētis, *beneficium* est. Vnde sequitur, posse almam matrem ecclesiam ab alumnis grati animi significationem, amorem filialem, reverentiam, obedientiam, ministerii ecclesiastici (quo & Ecclesiarum seminaria scholas referimus) sustentationem, exposcere pro re nata, & si secus fiat, de contemptu & ingratitude conqueri. Baruch IV, 8. Rom. XV, 27. (ubi de Ecclesia Hierosolymitana, tanquam matre, agitur) Cantic. I, 5. 1. Cor. IV, 15. 21. IX, 11. Galat. IV, 19. 20. 1. Thess. V, 13. conf. Jo. Brunnemanni *de jure ecclesiastico* Tr. ex pluribus animadversionibus Christiano Jcto dignis commendabilem p. 105. 236. 269. 319. 360. 361. 651. & Speneri consil. Lat. P. 1. p. 302. P. 3. p. 708. sq. Hæc annectimus, ut media semper via incedamus, utriusque descripto officio.

§. XL.

2.) *De autoritate matris Ecclesiæ judicandum est, ex desponsatione ad conjugium mysticum.* Quod fundamentum solis radiis scriptum est in textu, *וְיָשָׁב אֶל־יְהוָה אֱלֹהֵינוּ*. nam desponsatio mystica, ut Ecclesiæ autoritatem, ita & autoritatis *finis limitesque* commonstrat; Quandoquidem nihil frequentius est, quam ut iura intelligantur ex mandatis functionibus. Dicimus igitur, Ecclesiæ (ad quam, quatenus mater est, Christus se habet, ut ad uxorem maritus) nunquam non agendum in nos esse secundum *tabulas matrimoniales*, habente illa mystici matrimonii *beneficium propter officium* grati animi præstandum, quippe quæ sponsa facta est, ut mater fieret & natos Christo adduceret. Cum ex seipsa loqui audeat, seipsam prædicare,

care, pronunciata mariti negligere vel corrumpere, & bona concredita pro lubitu tractare, ac dispensare aliter quam *tabulae* volunt *matrimoniales*, jus maternitatis per desponsationem acceptae amittit. Quo enim jure sponsa, in fraudem sponsi, obsequium postulare connubii spiritualis queat? utpote qui caput est ecclesiae, ut maritus uxoris, qui autoritatem sponsae circumdedit, non contra seipsum, sed sub se & pro se Joh. III, 28. 29. Joh. XV, 8. 14. 15. Ephes. V, 23. 24. 32. εἰς οἰκοδομὴν καὶ ἐν εἰς καθάρσεις in 2. Cor. X, 1. 8. 5. 17. XIII, 7. 10. 3. XI, 2. 3. 5. 10. 23. 31. ut unicuique σιτομέτριον suum praestet: cogitans, se propter Christi regnum foecundandum esse sponsam, propter filios se esse matrem, quo & illos vitae suae reddat participes, ad fructus ferendos Deo, ut pastor est propter oves, praceptor propter discipulos, ministerium propter populum. Ezech. XXXIV, 2. Joh. XV, 16. 1. Cor. III, 5. 8. 21. 22. IX, 16. 19. XII, 3. 12. 27. 28. 2. Cor. I, 24. IV, 1. 5. XI, 2. XIII, 7. sqq. Phil. II, 25. 1. Petri I, 12. καὶ ἑαυτοῖς. 23. Gal. VI, 17. 16. 14. 7. I, 1. 8. 9. 12. 16. II, 4. 8. V, 1. 10. IV, 14. 19. 29.

Quae de muliere apocalypica referuntur contra me in Unschuld.

Nachrichten A. 1707. p. 469. responsonem aliam non admittunt, quam quae iam de similibus excerptis extat sub finem diff. de ortu mali p. 65. sq. edit. 2. Nefanda autem & infanda prorsus sunt, quae ibidem de colluvie quadam Wingensteinensis sic dicta matris Eua repetuntur.

§. XLI.

3.) *Promissione gratiae divinae ecclesia utatur ad se excitandam & erigendam, non ad fanaticam * imaginationem & persuasionem, quasi Deus sanctum suum Spiritum eiusque evēp- γήματα sibi mancipasset. Nam textus bello ordine primo dicit*

* F. C. p. 332. 333. 881. 148. fin. *Papatus simpliciter est merus Enibusiasmus, quo papa gloriatur omnia jura esse in scrinio sui pectoris &c.*

dicit וְאֵינִי אֶתְרֵי הָאֵשׁ & deinde וְאֵינִי אֶתְרֵי הָאֵשׁ & e-
 go non vir eius. supra §. 12. Leguntur promissiones de
 defecturo nunquam semine bono, & perpetuo Dei fœde-
 re Hof. II, 19. 25. Pf. XXII, 31. 32. Esa. XLV, 17. XLIX, 21.
 LIII, 11. LIV, 1. Joh. XVI, 13. Luc. XXII, 32. Galat. IV, 26.
 27. At enim vèro factæ illæ promissiones, sunt ecclesiæ
 catholicæ, quam matrem maxime vocari scriptores eccle-
 siastici cupiunt, nulli sedi, loco, lapidi, statui, autoritati
 affixam, per omnem orbem diffusam: salva inviolabili
 autoritate *Tabularum matrimonialium*, salva interminatio-
 ne *repudii* Hof. IV. 6. VIII, 2. 3. coll. Ef. L, 1. Jerem. III, 8.
 Luc. III, 8. Matth. III, 9. Rom. IX, 6. 28. 29. cum gloss. marg.
 & Apol. A. C. p. 148. lin. vlt. 149. Firmæ itaque consistunt
 catholicæ ecclesiæ promissiones, etsi in huius vel illius
 cœtus particularis doctrina vitæque publica nihil aut pa-
 rum tanto fœderi conforme, multum autem repudio di-
 gnum,prehenditur.

*Instit. Breitb. ex Augustini libris de doctr. Christ. collecta §. 11. 12.
 13. 37. 48. Speñ. Buspr. 1. th. p. 210. 380. im 2. th. p. 32. sq. 78.
 190. sq. 138. 211. 258. 380.*

§. XLII.

Finis, de quo supra §. XIII. est correctio vel emen-
 datio *vt auferat fornicationes suas Et. conf. Hof. VI, 5. 6.
 XI, 7. Malach. III, 4. Apoc. II, 20.* Quem in finem si de-
 figamus semper oculos, Deumque oremus humiliter, vt
 dicta, consilia & scripta nostra, fini illi impetrando infle-
 ctere dignetur, cæteris, quæ jam dicta sunt, non neglectis,
 tutissimi ibimus, & faciet Deus, ne apud omnes sine no-
 stro excidamus. Ergo qui contendunt ita cum matre,
 non *intendunt* separationem a matre, sed tentant conten-
 dendo præcauere Ichisma.

E 3

§. XLIII.

§. XLIII.

Quando vero Spiritus S. Matrem vult auferre fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua a medio uberum suorum, discimus, 1.) ecclesiam, puram se etiam ab illis maculis, quæ leviores videantur, servare debere, pro mensura viri-um gratie, secundum Christi intentionem, qui sanctificavit sibi ecclesiam, vt exhiberet sibi illam ipsam gloriosam, non habentem maculam aut rugam &c. Eph. 5, 24. 26. 27. 4. 6. 11. 15. 18. 32. 4. 29. 30. 20. 1. Theff. 5, 22. 27. 2. Theff. 3. 6. 19. 2. Cor. 6, 17. 18. 7. 1. In textu hæc ἀγγελία indicatur, tum per faciem & ubera, tum per duo pluralia, fornicationes & adulteria ejus זְנוּנוֹתָא & בְּאַדְוֵרְתָא. Vtrumque remoueri vult textus, vt ex modo allegato §. XIII. patet. Facile enim simplex hæc virginitas amittitur 2. Cor. XI, 2. 3. Judæ v. 4. 8. 12. 19. 23. 2. Tim. 3, 6. Quæ leuia videntur, magna sunt, quia ex levitate animi generantur, Gal. V, 19. 20. Marc. VII, 21. 22. (Teresa Obras T. 2. f. 493. Cartas T. 1. p. 182.) Tertull. de pudic. Macar. hom. 15. §. 14. 28. 1. 4. 37. hom. 27. §. 15. opusc. de caritate c. 29. 30. Spen. con- fil. Lat. p. 3. p. 748.

§. XLIV.

2.) Quod Deus auferri vult solícite a matre, auferri pariter vult a filiis. Probatur e textu: quia propter filios cum matre vult contendere, ne exemplo matris seducantur Hof. II, 2. 4. IV, 4. 9. 15. V, 1. 4. 7. Gal. II, 13. Apoc. 18, 2. 4. 17. 5. 8. 2. 6. 7. 15. 16. 17. Unde colligimus, ecclesiam filios hujus seculi, quibus vetus homo dominatur; non posse pro γνησίους, seu in fide viuentibus τέκνοις, habere, quippe quibus ipsis adoptari apud patrem res est nauci fere & nihili. Ezech. XIII, 22. XLIII, 7. Pf. CXLIV, 7. 11. Zach. V, 3. Matth. XXIII, 15. 23. VIII, 11. Luc. XIII, 28. 29. Amemus Dominum Deum nostrum, amemus ecclesiam ejus. *Illum, sicut Patrem, istam*

istam sicut Matrem, illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam
 ejus, sed matrimonium hoc magna charitate compaginatur. Ne-
 mo dicat: arreptitios quidem & sortilegos consulo, sed ta-
 men DEI Ecclesiam non relinquo. Catholicus sum (ortho-
 doxiam profiteor. fisto me ecclesiae ad confessionem &
 synaxin,) sum membrum ecclesiae. Tenens matrem offen-
 dis patrem. Et quae plura habet Augustinus (in ipso Bre-
 viario Romano Vigil. Pentecost. & apud Petrum Canisium
 Operis Catech. p. 41. vbi quidem prudente * lectore opus
 est,) & ex eodem Augustino, nec non Spenero, Th.
 Sincero, I.F. Mayerus in *Luthero Apocalyptico* p. 296. 297.
 O bonam matrem, quae filios serio hanc rem monet quo-
 tidie, nec patitur filios secure dormire in sinu suo! Nec
 etiam potest mater indemnitate filiis repromittere;
 quam ad minimum repromittere deberet, si ulla autori-
 tas humana, in rebus ad religionem & salutem proprie
 pertinentibus, simplex obsequium jure se postulare posse
 existimet. oportet enim in tanti re momenti certum es-
 se, quod admittat Deus vicariam alterius pro me ope-
 ram, quodque Deo meae propriae curae abdicatio appro-
 betur. Ergo mater filios, filii matrem, de communi pe-
 riculo monere debent. Malach. IV, 6. Col. 4, 16. 17. Spen-
 resp. ad Hartnacc. p. 199. sq.

* Prudente, inquam, Lectore. Bonis enim veterum sententiis non raro
 admiscet eiusmodi hypotheses, quae faciunt, ut Demas adhuc
 in somno detineri possit. Vide has notatas in editione nostra con-
 ciliis, *Trid.* p. 15. 59. 85. 109. &c. Putamus enim, notari eas de-
 bere in elencho isto, nec omitti posse, quia totus Papatus, qua
 talis, fulcrum quoque querit in hypothesis de impiis, tanquam
 membris ecclesiae propriae sic dictis. &c.

§. XLV.

3.) Cultus idololatricus & quiuis falsus externis ceremo-
 niis & pompis ornamentis exornare sese & jactare solet, ait
 Sebast.

Sebast. Schmid. *quid namque sunt*, pergit, *scortationes in FACIEBUS, & adulteria inter ubera aliud, quam ornatus meretricii, quibus amasi ad adulteria alliciuntur?* p. 97. 98. 373. Hof. IV, 12. 13. 18. IX, 6. XII, 11. Huc pertinent variae *εὐλογίαι*, bona verba, irritamenta sensuum, repræsentationes, spectacula, & blandientes carni rhetoricationes, quibus veluti philtris, populares animi induci in insanum amorem facile possunt. Es. LVII, 4. 5. Ez. XXIII, 6. 12. 2. Reg. XVI, 10. Rom. XVI, 18. 19. Jer. XIII, 13. 18. 2. Thess. II, 10. 2. Cor. XI, 20. 23. Sap. XIV, 20. XV, 4. 5. Apoc. 17, 4. 5. 8. 18. 18, 2. 12. 13. 22. Arndt. L. I. de V. C. c. 33. 35. §. 6. c. 39. §. 1. 4. 8. 9. L. 2. c. 22. §. 3. 4. II. Nachr. A. 1705. p. 84.

§. XLVI

4.) *Ecclesia, quæ Domino fidelis esse cupit, de externorum observationibus, etiamsi laudem suam alias non nulla merentur, ita curet, quo videant filii, externa urgeri & institui propter cultum internum. Si secus faciat, suppeditabit filiis materiam se fucandi, quasi rem bene gesserint. Textus autem vult propter filios a matre auferri omnem omnino fucum ex facie*, conf. Hof. VI, 4. 5. Jer. IV, 30. II, 22. 27. Esa. LVII, 11. LIX, 4. 5. 6. 7. Matth. XXIII, 23. Pl. L, 5. 8. 16. 20. Marc. VII, 14. 18. 13. Apoc. II, 18. 29. 3, 1. 6. 14. 18. 22. XXII, 14. 15. 16. 1. Cor. VIII, 8. VII, 17. Rom. XIV, 17. 18. Luc. V, 33. 1. Tim. IV, 4. 6. 8. F. C. p. 20. 29. 32. 36. 66. 84. 209. 616. 791.

* *Vel in solis Prophetis est nubes testium contra abusum cultus Leuitici. Neque aliud est ille cultus Missarum, & reliqua politia Papæ, quam κακοζήτεια Leuiticæ politie male intellectæ; censente apologia Augustanæ confessionis p. 263. Quod ut omitti pariter nequit in elencho isto: ita odium parit non exigium hæc indicatio. Repetatur ibidem observatio de populo legis, & de populo juxta euangelium, artic. de ecclesia p. 146. 147. & p. 98. 275. 347. nec non diff. nostra de libris V. T.*

§. XLVII.

§. XLVII.

Profecto Doctrina hæc spiritui Pontificio non minus, ac olim Pharisæico, quid? cuius animalis homini, non potest non fudes esse in oculis. Quo enim fine, Ecclesiæ matris pulchrum vocabulum Romana tandem curia cum suis hodiernum toties inculcet, v. g. extare Felicis I. Papæ ad Benignum Episcopum Epistolam, qua hæc sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi vocetur Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur; in Concilio Lateranensi maximo, Joachimum quendam Abbatem illi se fidei firmiter obstrinxisse, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, mater est & magistra: Hoc ipso Laterano post Romanam Ecclesiam, quæ mater uniuersorum Christi fidelium est & magistra, Constantinopolitanam sedem Patriarchalem primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, Hierosolymitanam quartum locum obtinuisse: in Lugdunensi generali sacrosantam nuncupari Romanam Ecclesiam, matrem omnium fidelium & magistram: in Tridentino tale quid pariter repetitum toties fuisse, quis, inquam, quo fine hæc encomia omni occasione cumulentur, non videt? Liber Haupt-Vertheidigung des Aug-Appfels dictus p. 103. ex ipso Thuano singularia habet de Pio V. quem modernus Pontifex Clemens XI. nuper canonisauit.

§. XLVIII.

Et Laterani quidem concilii dum meminimus, quod celebratum fuit sub Innocentio III. Papæ istius bellam & publice tamen pronunciatam sententiam exscribere iuvat ex Hülsemanni Tr. de corrept. fratern. p. 19. Quando frater fratrem corripit, perinde quidem esse ac cum Asina Bileamum increpauit, at quando Laicus clericum quasi PA-

F

TREM

TREM suum velit increpare, disparem esse rationem. conf. p. 35. Infinitos eiusmodi flosculos ex scriptoribus, qui Romanæ curiæ servi sunt & venales, colligere licet cui-libet. Solius Synodi *Tridentinæ* textus, quantumvis varie contorti, una cum ipsa praxi publica, satis superque docebunt, quid sibi velint eiusmodi de iure maternitatis flosculi.

§. XLIX.

Ne vero Ecclesiæ Romanæ ipsi insultare existimemur, concedimus, Ecclesiam etiam corruptam Deo filios, ea ex parte, qua pura est, generare posse, supra §. xxxvi. Concedimus, continere eam ipsam sinu distri-ctuque suo bonum quoddam semen, quod nouit Dominus, quod sub iugo gemit quodque nos Domino precibus quotidianis merito commendamus, & si quando quos meliores agnoscimus, magno affectu, *Φιλάγαθος ὄντες*, suscipimus: concedimus, Romanam ecclesiam *fuisse* matrem & plantatricem aliquarum Ecclesiarum, *διὰ τὰς πατέρας ἀγαπητήν*, ex qua & ad quam (Romanam Ecclesiam) tot tamque præclaræ epistolæ ab apostolis scriptæ leguntur in canone, in æternum veræ catholicæ & Romanæ veteris doctrinæ testimonium: *fuisse castissimam*. Christi sponsam eo ipso agnoscimus, cum hodiernam in hac oppositione vocamus adulteram & *μητέρα τῶν πορνῶν*, vt adeo in ipsa adulterii actione, contra illos instituta, pristinæ virginitatis lateat confessio. Qua confessione testamur, *primitiuam* Romanam Ecclesiam maximo apud nos in honore versari, & *nihil inesse in doctrina apud nos, quod discrepet a scripturis, vel ab ecclesia catholica, vel ab ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est.* A. C. p. 20. *Præfat. libri concordia.* Lutherus T. IV. *Jenens.* Germ. edit. 1568. f. 320. 321. Brentius T. VIII. *opp.* f. 197. 178. coll. f. 42. C. Bec-

C. Beccerus in *prælaudatis positionib.* §. 73. 121. 133. 175. 176. 177. H. Höpferus in *Saxon. Evang.* p. 136. 141. 147. 377. Idem in *Dissp.* p. 77. 92. 441. seqq. A. Kunadus *Dissert. de unit. Eccl.* §. 24. 28. qui stylo præfenti conformiter §. xxv. loquitur. Jo. Musæus *Tr. de Ecclesia P. I.* p. 244. 251. 254. 257. 288. Scherzerus in *Brev. Theolog. Hülsemanniano enucleato atque aucto* p. 1256. 1257. 1302. Idem in *Heptade catholica* §. 194. D. Michael Siricius in *ostensione fundamentali abominationum papatus circa religiosum creaturarum cultum* p. 36. 37. S. B. Carpz. c. Masen. p. 195. celeberrimus D. D. Alberti in *interesse Relig. Art. X. Th. I. §.* 4. 7. p. 440. 441. D. D. Joh. Olearius, venerandus Socer meus, in *Programmat. controversiis papisticis præfixo*, maxime autem & ex instituto in *discussione Problematis Theolog. An Ecclesia Rom. (quatenus est Ecclesia s. cætus vere fidelium sub papatu gementium atque latitantium) sit una cum nostra Lutherana quoad (Baptismum & verbum tanquam) communia fidei principia* p. 22. 24. 32.

§. L.

Verum enim vero negamus atque pernegamus, ex ullius generis maternitate sequi immunitatem, & exemptionem ab omni elencho, vel imperium aliquod acquiri in propagines filias seu plantatas a se ecclesias, per ea, quæ hæcenus attulimus, & præter adductos proxime Theologos a B. Danhauero in *Hodomoria Spiritus Papæ* p. 361. seqq. 365. 417. 436. a M. A. de Dominis L. IV. de *Rep. Eccl.* pag. 561. seqq. & a Samuele Pufendorffio de *habitu Relig. Christ.* p. 123 partim ex textu nostro, partim aliis rationibus evicta sunt. Negamus etiam Ecclesiam Romanam matrem esse vel fuisse omnium Ecclesiarum Christi & fidelium, utpote quæ *Hierosolymitanæ Ecclesiæ filia*, tradente Paulo ad ipsos Romanos c. XV, 27. *Si per Ecclesiæ catholicæ*
 F 2 radicem

radicem & MATRICEM, Romanam Cyprianus Ep. XLV. intellexerit Ecclesiam, (quod e contextu non est adeo clarum,) non simpliciter, sed -- certa quadam ratione illud eum intellexisse res ipsa postulat, comparatione videlicet occidentalium & septentrionalium ecclesiarum, cum Romana ipsa ex oriente originem traheret, recte censet D. Gerhardus Titius de phrasibus veterum Ecclesiae Doctorū, quibus pro nouitatibus suis R. P. abutuntur. p. 73.

§. LI.

De Iudaica & Hierosolymitana certe Ecclesia, velut matrice reliquarum, extant loca plura, & quidem in respectu ad Ierusalem spirituale, quod sursum est, & de supernis. Psalm. LXXXII. 4. 5. Pf. CX. 2. Esaiæ II. 3. Micha IV. 2. Luc. XXIII. 5. XXIV. 47. 49. Joh. IV. 22. Act. X. 37. Gal. IV. 26. 1. Thess. 2. 14. 15. 16. 7. II. Quod & prisca ipsarum in occidente ecclesiarum patres libenter agnouerunt. Insignis Ambrosii locus habetur in ipso Breuiario Romano, Domin. Palm. F. 1. & ibidem Chrysostomi d. 4. Jul. Pseudo-Apostolos quidem sedis cuiusdam Apostolicæ Hierosolymis collocandæ lineas concepisse sibi animo, ejusque Ecclesiae prerogativa deprimere istos Paulum voluisse, sacra docet historia: Paulus tamen, ut is in Ep. ad Galatas, Romæ præcitu fratrum Romanæ ecclesiae exarata, c. I. II. testatur, neque confirmationem muneris Apostolici, tanquam a matre, ab illa petiit, neque absque ecclesiae Hierosolymitanæ delegatione alias alibi non fundavit Christi ecclesias. Quid? quod Paulus Petro, qui tum Papa fuit secundum Romanensium communem hypothesein, restitit in faciem, Gal. II. 14. Quam correptionem Pauli Petrus patienter tulit, habens nunc in sua scilicet cathedra successores, qui ad se nunquam pertinere putant imperativum (Contendite cum matre vestra, contendite,) quasi vero Status cleri ecclesiae Judaicæ in forma sua non fuerit tali eminentiæ propior, quam Christianæ!

§. LII.

§. LII.

Desperatam sane causam arguit, Papatum præter alia regni tenebrarum instrumenta, & *matris* Ecclesiæ titulo infallibilitatem sibi asserere, immani saltu §. XXXVII. jam in antecessum annotato, & breui, quod ajunt, manu omnem correptionem, reformationem omnem, cum onere respondendi declinare; cœcam contra, indiscretamque filiorum obedientiam laudare, & in lucis assertores tam fœde grassari, monendi fiducia *pro summo peccato ἰσομαχίας* à tantis patribus habita Joh. IX, 34. Unde enim, fodes, est, quod iste inter medias illecebras vi & metu filios sinu suo continere neceffe habet? Vnde, quod ex sua ratione status alios omnes, non potest non persequi?

§. LIII.

Sapere sibi voluit hac Elenchi declinatione Papatus, & justo Dei judicio magnam orbis partem captivam suis artibus tenet, tandem tamen suo tempore graviores, quam hactenus, contemptæ omnis admonitionis pœnas dabit. Salua nunc conscientia & charitate segrege ab ipso degimus, postquam in vanum omnia iusta retinendæ pacis ecclesiasticæ media proposuere majores nostri, culpa deinde schismatis in fastum pontificis & pontificiorum merito reiecta F. C. p. 44. 232. 247. 292. 300. 334. 338. Lutherus *T. IV. Ienens. Germ. fol. 200. T. VI. Ienens. Germ. f. 15. seqq.* H. Conringius *in discussione eorum, quæ opposuit suæ animadversioni in Novenam Antonianam, Dionysius Werlensis Capucinus. Helmstadii 1676. edita p. 34. B. Mulæus Tr. de Ecclesia P. II. p. 218. usque ad p. 330. V. L. a Seckendorff in Christenstaat p. 710. & L. 3. hist. Luth. f. 584. L. 2. f. III. (17) Alethophili antw. auf Christiani Conscientiosi sendschreiben p. 155. Non negarim, multos initio pio studio ad acriorem reprehensionem quorundam manifestorum abusuum impulsos fuisse & præcipuam*

causam huius calamitatis & distractionis ecclesiae illis assignandam, qui inani quodam fastu ecclesiasticae potestatis inflati re-
 Æe ac modeste admonentes superbe ac fastidiose contemserunt &
 repulerunt, tateetur ipse Georgius Cassander statimque sub-
 jungit: quare nullam Ecclesiae firmam pacem sperandam puto,
 nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam dederunt. in Art.
 VII. A. C. parte 2. Idem de officio pii viri: illud improban-
 dum existimo, quod Romanæ ecclesiae gubernatores & propugna-
 tores morbum nullum agnoscunt, & quod huic rei consequens
 est, remedia non admittunt, imo de correctione admonentes
 & ad curationem exhortantes, operamque suam ad id efficien-
 dum offerentes, non modo reiiciunt & ab ecclesiae societate de-
 pellunt, verum etiam multis in locis crudeliter interficiendos
 censuerunt.

§. LIV.

Nunc igitur animaduertamus paulisper in locum pri-
 mum concilii Tridentini, quo matrem appellat R. E. ut, quis
 sit Romanæ matris in filios affectus, cuius sit hæc Ecclesia
 Spiritus filia, cordatiores intelligant. Sess. IV. ad coercenda
 petulantia ingenia decrevit, ut nemo prædientia suæ innixus
 sacram scripturam ad suos sensus contorqueat aut contra eum
 sensum, quem tenuit & tenet Sancta MATER Ecclesia, cuius
 est iudicare de vero sensu & interpretatione sanctarum scriptu-
 rarum, aut etiam contra unanimum consensum patrum, ipsam
 Scripturam Sacram interpretari audeat; Etiam si huiusmodi in-
 terpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ fuerint.

§. LV.

Bona hic sunt verba Patrum Tridentinorum ab initio
 decreti, quæ utinam seria & ex simplice affectu cordis pro-
 gnata fuissent! Absit enim, ut curam de coercendis pe-
 tulantibus literatorum illiteratorumque ingeniis matri Ec-
 clesiae abiudicatum ire, aut scripturam *ιδίας επιλύσεως* esse
 veli-

velimus. Ipsimet maiores nostri in *præf. libri concordie* nolunt quenquam pro sua libidine controuersias cum offendiculo coniunctas mouere; ex his enim hoc tandem consequitur, ut purior doctrina obscuretur & amittatur: ad posteritatem autem nihil, quam opiniones & ἐπιτομὴ academica transmittantur. Quis autem modum illum, quo decretum suum de cœercendis petulantibus ingeniis, Synodus in effectum dari voluit, & proh dolor! dari in effectum fecit, matre dignum iudicet? Quot enim viri innocentissimi non sunt laqueo hoc in crimine tracti petulantiae, & temerariae præsumtionis, (quasi viperini fœtus instar matris viscera isti corroderent) vel etiam rebellionis & schismatis, qui recte putabant, religionis causam etiam ad se spectare; suam ipsorum salutem agi: sibi etiam ipsis necessarium esse, vt sinceram doctrinam a falsa discernant ex Scriptura, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores æstimari & iudicari oporteat.

§. LVI.

Romanam Sedem vocant illi *Petri cathedram*. at Petrus cum videret *petulantia ingenia*, quid decernit? an eripit *privatis*, vt aiunt, filii omne iudicium, vel panem e manibus proborum propter degeneres & prodigos filios? minime! sed προγινώσκοντες, inquit, Φυλάσσεθε 2. Petri III, 18. coll. c. 1, 19. 20. Rectius Michel des Marolles Abbé de Villeloin in præfat. super N. T. *Il n'y a rien à craindre pour elles, (ames, qui sentent allumées tout desir de plaire à Dieu, quand elles ecoutent sa parole) dans la lecture de ce diuin liure, ou bien il faudroit dire qu'il n'y a jamais de disposition suffisante pour y rechercher les instructions & les consolations nécessaires &c. ---- Mais a fin de ne laisser aucun lieu de douter en une matiere de cette consequence où la PREOCCUPATION a tant fait de mal, je prie &c.* Eadem habet Montensium super N. T. præfatio.

§. LVII.

Sensus scripturae anima scriptura est. Quod si ergo sibi soli definiendum scripturae sensum verum, etiam cum lectionem literae quibusdam alicubi indulgeat, reservat sancta mater Ecclesia, quid relinquit lectoribus, & quo tandem ultimo redibit vita filiorum spiritualis? Autoritatem suam mater Ecclesia habet & deducit ipsa e verbo patris. Vnde vero filiis certo constabit de autoritate matris ex verbo patris, si nullo modo filii judicare possunt de sensu verbi patris, nisi per ipsam matrem? porro si filiis iudicium discretionis non competit, quomodo matrem, cui obedire debent, discernent a matre scortationum? Aut, si ad sequendum omnino & tenendum sensum Pontificis merito adstringuntur: Quis certos reddit Pontificios, quod mentem pontificis e cathedra loquentis privato suo iudicio recte assequantur? Dicis, dicta de autoritate Ecclesiae luce sua radiare, & a quouis per se intelligi: Quæro vicissim, quidni & dicta alia? At ut in orbem redeamus, sola vult de sensu scripturae iudicare, ne iudicari ex illa possit ipsa, vel contentionem sustinere opus habet. Nolle autem examen subire, suspectum est, & intolerabile; Quia sublato vero iudicio Ecclesiae, non possunt tolli impia dogmata, & impii cultus, & multis seculis infinitas animas perdunt. Artic. Smalc. p. 350. An consultum est, in tanta corruptione affectuum recipere sine disquisitione, quæ disquisitione egent quam maxime? Ich könnte alles wohl tragen / was Pappst / Bischöffe ic. für Fehle haben auffer der Lehre. Aber daß sie ihre Lehre (von den Kräften des freyen Willens) wollen geprediget haben / und unsere verdammen / das ist uns nicht zu leiden / denn sie haben die Welt verschlemmet / haben nichts geprediget / damit der alte Adam getödtet würde / (da noth ist dem allem abzusterben / was dir angebohren ist) und

und wer es hat predigen wollen / haben sie nicht wollen leiden 2c. Luth. T. IV. Jen. Germ. f. 60. b. Videatur *anathema* de concupiscentia seu fomite, de libero arbitrio *minime extincto* sess. 5. & 6. Concilii Trid.

§. LVIII.

Incidit aliquando in manus meas liber Hispanico Idiomate scriptus *Carrascon*, ubi singulari capite VII. *damna doctrinæ Romanensis de fide implicita* recensentur, & inter alia vrgentur loca Prophetica de tempore Messia, quo cognitio futura sit vberissima *Esa. XI, 9. XXXII, 4. LIV, 13.* (qui locus inter classicos est de *filiis ecclesie*) *Jerem. XXXI.* vt constet, sub fide implicita Papistarum Regnum Christi Judæos videre non posse. p. 17. seq. Matris bonæ foret, remouere pro viribus omnia, quæ gentilium, hæreticorum, & aliorum errantium conuersionem impediunt. Sic iam superius §. XLI. singularis ejusque omnium pessimi *fanaticismi* mentionem fecimus, quem Lutherus in *Artic. Schmalcald.* p. 332. 333. copiose ad Papatum applicat: quæ verba a quolibet euolui facile possunt, vt certe operæ pretium est. Exscribemus potius ex *R. Baxteri Methodo*, eo quod is in omnium manibus non est, simile iudicium: *insanissimus Fanaticismus Papistarum est, cum papam cum suo concilio fidei iudices faciant infallibiles, quasi Ecclesiam Christus reget miraculose faciendo, vt homines inscii & erronei, aut supra intellecti- onem suam aut contra mentis sententiam decreta infallibilia con- derent, aut rectissime suffragia sua darent, & quasi Deus Papam aut suos Episcopos, quamuis neq; Hebraice neq; Grace doctos, in- fallibiles faceret Scripturæ S. translatores & commentatores, vel translationū & comētoriorū, quorum omnino ignari sunt, infalli- biles iudices. f. 18. 26. ib. Baxterus: Fanatici dominantes, videlicet Papicolæ, ut conscientiarū & inde orbis sibi regimen assumant. 1.) Spiritum S. a Christo Apostolis & Episcopis, vt eorum successoribus, primo & gradu eminenti fuisse promissum, & promissum hoc certi- tissime donari Job, XX, 23. Act. XX, 28. 2.) Ecclesiam Romano-*

G

Papi-

Papisticam esse solam veram hanc Ecclesiam, cui Christus Spiritum S. promisit. - Et hinc omnes Spiritus S. promissiones detorqueant ad probandam sedis Romanæ auctoritatem. f. 219.

§. LIX.

An ad fidem matris quadrat, cœercere tractationem, verbi, quo Pater innutriti omnes copiose & libere voluit. Theff. V, 27. 11. 14. 19. 20. 21? Cur in tot ambages & difficultates conijcit scripturæ intelligentiam & tractationem, quam facilem reddere & iuvare ex officio tenetur? & cur non promouet potius filiorum exercitia in vita fidei? Johannes Barclajus in *Parænesi ad Sectariorum* hoc ipsum ad Ecclesiæ quidem decus miro artificio conuertit. *Voluit illinc (nempe per obscuritatem scripturæ Deus) suæ sponsæ maiestatem accrescere, quæ sola de eiusmodi controuersis disceptaret; suos autem electos fieri PARVULOS (vt ad subeandum cœlum necesse) vt proprii ingenii sensu despecto, exponenti ecclesiæ adhereret. L. I. c. VIII. p. 134. seq.* Apostoli doctrina de fine instituti ministerii ecclesiastici, seu exponenti ecclesiæ, est longe alia, nempe *ἵνα μηκέτι ὁμῶν ἡπίιοι.* Ephes. IV, 14. quod dictum die cœnæ Domini in solenni & anniversaria excommunicatione recitatum memini. Barclajus fane in tanta re ludos facit. Cur non etiam ait, Scripturam ideo literam esse mortuam, vt vivat, vt vigeat & floreat *exponens* ecclesiæ? *O contendite cum matre vestra, Romanenses, contendite, quia hæc matre pia plane indigna sunt. Aut scriptura vobis id est, quod culter in puerorum manibus, Foreri phrasi?*

Recentiora quædam de cultro in puerorum manibus notauit in diff. de qualitate fundamentorum p. 44. 34. 38. 19. edit. 3. Quibus calculum addit Dn. D. Job. Güntherus in apologia A. 1695. pro scripto quodam Nic. Humii p. 9. im Anhang an die Beschluß-Schrift p. 5. sq. Sine ullo etiam fundamento dici ab aduersariis recentioribus, quod Lutherus pressus & euersus luce auctoritatis ecclesiasticæ quesuerit refugium in sacro codice, ostendi in spicilegio historico-ecclesiastico de libris V. T. sub initium & finem.

§. LX.

§. LX.

De unanimi consensu patrum verba facit Synodus; sed & de patrum mente iudicium Pontifex sibi asserit, valetque omnino in curia Romana illud Bellarmini: *Si Papa, tanquam Pater, ab omnibus honoratur, non habet ipse ullos in ecclesia patres, sed omnes filios. Quid vero mirum est, si non pater filiis, sed filii patri suo subiiciantur?* L. I. de R. P. c. 27. *Omnium conciliorum & omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate presentis Ecclesie.* L. II. de Sacram. c. XXV. conf. Brentium T. VIII. opp. p. 144. 211. 728. 762. Hutterum in LL. CC. f. 526. Hüllemannum in dedicat. Tr. de corrept. fraterna.

§. LXI.

Sed nunc referenda saltem sunt reliqua maternitatis Tridentinae specimina. Sessione XXII. c. VIII. *et si missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur. quamobrem retento ubique cujusque Ecclesie antiquo, & a Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum MATRE & Magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neque paruuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus pastoribus -- ut frequenter inter missarum celebrationem ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant.* &c. Ibidem cap. 5. *statuitur, piam matrem ecclesiam ritus Missae instituisse pro natura hominum ad excitandam meditationem; subsequente anathemate, quoad illa omnia intelligendo. Cap. autem I. ex analogia sacerdotii & sacrificii Levitici transitur ad visibile sacrificium Missae, quod Dominus dilectae sponsae suae ecclesiae reliquerit. Vide supra §. 46.*

§. LXII.

Digna lectu sunt, quae dexterrimus Theologus Martinus Chemnitius in Exam. annotauit, & ad Can. III. de baptismo Sess. VII. *Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de baptisimi sacramento doctrinam, anathema sit. Item ad de-*

cretum *de delectu ciborum, jejuniis, & diebus festis.* & Sess. 14. cap. 3. de extr. unct. De alio argumento, quod ex *baptismo* ceu prima ianua *ecclesie & potestatis ecclesiasticæ*, inde resultantis, contra nos formant Romanenses, quasi Romana Ecclesia, propter baptisimi a se accepti beneficium, perpetuum in nos, degeneres scilicet & ingratos filios, ius retineat, B. Musæus consulendus est *Tr. de eccles. part. 2. p. 159. 160. 164. 199 part. 1. p. 292.* Sess. 22. cap. 1. *Missæ* dicitur sacrificium *visibile*, quod, sicut hominum *natura* exigit, Dominus reliquerit *dilectæ sponsæ suæ ecclesie.* Quo fine autem ibidem *Missæ* appelletur illa *munda* oblatio, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium *inquinari* possit, notare solent nostri theologi. Vide non nihil de Amsdorfio in *U. Nachrichten* 1706. p. 147. (11). De ultimis verbis salutationis, quam vocant, angelicæ, vel eius appendice (*Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. amen.*) Bellarminus ait, *Sanctam Matrem Ecclesiam* appendisse. vide sis Höptnerum in *Dispp.* p. 504. 505. 506. seqq.

§. LXIII.

Sess. 15. 18. nec non sess. 13. in fine Synodus nobis testatur, se illud præcipue cogitare, ut cor *patrum* ad *filios*, & cor *filiorum* ad *patres* conuertat, ut *univerſi* communem *matræ* piæ in terris agnoscentes, quæ, quos *pepererit*, ingemiscens & parturiens obliuisci non possit, ne obdurent corda sua, sed ad tam piæ & salutarem *matris suæ* admonitionem excitentur. Ita synodus. Recordari autem nobis liceat, quid synodus iam iam de nobis in *lessionibus*, quæ præcellerant, posteaque etiam, statuerit durissime. Tot gentes, populi-que & Principes, communionis ipsius Romanæ, petebant restitutionem calicis eucharistici. Promisit synodus deliberare de conditionibus, alicui vel nationi vel regno indulgentis. Sed in fumum abierunt omnia. Videatur finis sess. 21. & 22. Imo & consideretur *flosculus*, qui iam præcedit sess. 21. cap.

21. cap. 2: agnoscens *sancta mater ecclesia* suam in administratione sacramentorum *autoritatem*. &c. Quid? quod ad finem sessionis 13 in decreto prorogationis, quæstio hac de re non nisi ita formatur: an errauerit *sancta mater ecclesia* &c. Nimirum nihil cedere, nullamque causam iusti elenchi agnoscere volunt isti, qui inter suos *prævalent*, sed omnia agere & definire pro imperio. De quibus passim in *editione nostra Halensi concilii Tridentini*, ita ut & ipsi inde pro nobis ipsis bona monita desumere possimus in rebus nostris; saluis iis omnibus, quæ sunt Dei & veritatis.

Additamenta ἀπολογητικά.

L

D. Sam. Schelguigius in *supplemento Synopses* suæ artic. 27. de *ecclesia* §. 2. p. 159. 162. me refert inter ingratiſsimos erga *matrem ecclesiam*, quia in scripto meo dem Unſug olim opposito optauerim, daß unter denen / die sich Lutherische / Evangelische / vom Römischen Babel ausgegangene heißen / wenigere seyn möchten / so dem Röm. Babel gleichsam die Brücke treten / oder daß sich niemand theilhaftig machen möchte der Sünden Babels. p. 95.

Legens *ἔχρημα* hoc non exiguum, deprehendi, eadem verba mea de Babelis consortio fugiendo proponi contra me in eiusdem grandiore libro *Sectiv.* p. 1. artic. 1. vom Verfall der Kirchen p. 20.

Equidem absolvunt me vel sola verba (ut ab ipso accusatore notata cernuntur) ab ingratiſsimo erga *matrem ecclesiam* animo. Optare enim, ut pauciores sint, qui Babel *quasi* adjuvant, est optare id ipsum contra Babel, *pro matre ecclesia euangelica*, matre nostra.

Non tamen ingratum, temporis saltem præsentis causa, fuerit, objectionem paucis diluere. Si enim Lectori placuerit inspicere paginam illam, quæ ex scripto meo bina vice designatur a Schelwigio, nempe p. 95. contra Unſug; statim obseruabit, plane aliud quid a me ibi doceri. Corrupta ecclesia (wie daselbst p. 93. angeführet wird) heißet bey mir nicht so viel / als das Lutherische Babel / wie aus meiner *diff. inaug.* §. 15. abzunehmen. Ich habe zwar (pergo ibi) oft gewünschet / daß unter denen / die sich Lutherisch *ss* nennen / wenigere seyn möchten / so *ss* der Sünden Babels. Hac est structura textus mei p. 95.

En! incipit textus meus p. 95. protestando, heißet bey mir nicht so

G 3

viel

viel/ & rursus prouocando ad *diff. inaug.* §. 15. h. e. ad ipsam nostram dissertationem *de matre ecclesia.*

Ista vero protestatione & prouocatione præmissa, imo iterata, adnexum subsequitur votum *pro ecclesia.* Ich habe zwar oft gewünscht. &c.

Quid, quæso, tanta inculpatione dignum? Annon prorsus contrarium legitur *diff.* §. 15. & quidem in prima statim editione A. 1690? Scilicet *agnoscitur* ibi a me, ecclesiam nostram non esse Babelem apocalypticam; alios esse *in ecclesia*, alios etiam *de ecclesia*: correptionem ecclesiasticam temperandam & intelligendam esse *cum exceptione fratrum sororumque fidelium*, ut *ecclesie sua adhuc constet autoritas*, suum relinquatur *semen bonum*. Imo per totam hanc dissertationem iustæ observantur cautelæ, ut fere abundare videantur. Nec minus *ἔργον* meum pro ecclesia aduersus *præiudicia* Papismi exposui in limine & fine scripti mei *wieder den Unfug* p. 6. 7. 141. item p. 93. 121. 122. & passim.

Cur ergo hæc omnia neglexit Schelwigius, & adhuc A. 1708. (eo enim anno, anno item 1710. prodiit *supplementum synopses*) increpationem tam duram repetiit toties, ac si res esset certissima? Cur ita persistit in modo argumentandi a *particulari*, argumentatus ex querela mea particulari ad *ecclesiam*? Vnde didicit hunc in modum inferre? non certe inferri ita potuit secundum genuina principia ecclesiæ euangelicæ. Vel an ii, de quibus conqueror, *persona aliqua particularis*, sunt mater *ecclesia*? Annon hac ratione, Romanensibus, usitata, confirmaverit suo exemplo id, quod quidem haud intendit, nempe iustas esse meas querelas de *συμφωνίᾳ* aliquorum cum spiritu istius Babelis? Vide supra §. 38.

Deuisset potius argumentum inuertere Schelwigius. Nisi enim ego amarem & colerem ecclesiam nostram, parcius laborassem in abstergendis ab ea maculis, & depellendo alieno commercio. Nihil certe aliud ex scriptis meis etiam primis poterit intelligi, quam quod agnoscam diuinum *κειμήλιον*, inter nos repositum, & in prælectionibus fere quotidie laudo adhuc confessiones ecclesiæ nostræ; idque a toto inde tempore muneris mei publici.

Non tamen respuo monita de *grati animi* significatione, quam ab *alumnis ecclesie* exposci posse professus sum *diff. inaug.* §. 39. ante synopsis illam, similesque libros. In *synopsi* sua, qui sint, quibus iuste ad intentionem suam opponere possit locum de *ingrato populo*, Deut. XXXII, 6. artic. 27. *de ecclesia*. qu. 5. (1) & artic. 31. qu. 1. (3) de scho-

lis *matribus* studiorum, quarum *ubera* Nouatores antehac *suxerint*, ipse viderit. Ad rem vero hoc loco fuerit, pariter adiungere locum subsequentem Deut. XXXIII, 9. 10. ut sibi constet, quod in *supplemento* synopsis ait de fontibus, ex quibus doctores populi, *Deo placentes*, scaturiant, p. 192. vel, quod in *synopsi* ipsa ait de *matribus* studiorum. Vltimus enim locus ex Deuteronomio de *Patre & Matre* analogiam pulcherrimam habet cum presente themate huius nostræ dissertationis, & cum priore illo loco Deuteronomii optime consistit, nec cum illo pugnantius censendus est. Expectemus hinc diem, quæ doceat, quis vere gratus fuerit, quisque minus.

II.

In eodem *supplemento synopsis* p. 199. 200. 201. ob collegia pietatis, quæ habuerim *Rochlicii*, *Hale*, sum in *catalogo* eorum, qui stilo Speneri *ecclesiolas* velint colligi in *ecclesiis*; unde tamen plus damni inferatur, quam commodi. In *synopsi* ipsa dicitur, conciones ordinatas esse ad fidem in nobis *gignendam*, augendam & conseruandam; collegia vero talia ad *plantas* pertinere a *Patre* cœlesti non *plantatas*, adeoque *eradicandas*. p. 360. (1). Et in *supplemento* artic. ipso de *ecclesia*, statuitur, *ecclesiam* Christi quoad vitam æque, ac quoad doctrinam, pridem *plantatam* fuisse, non demum *plantandam* a nouatoribus p. 165; iterum adducto Speneri loco de *ecclesiis*. p. 166; qui locus etiã adnotatur p. 201. ad §. 1. de *collegiis pietatis*, vel saltem de *sine* eorundem.

Satis quidem video, quid maculæ affricare mihi velit Schelwigius per istum *catalogum*: sed illa ipsa de me *exempla*, tanquam in his terris notissima, docent, posse omnino rem totã ita institui, vt nihil inde damni inferatur ædificationi & bono ordini, sed ut potius multum commodi accedat salutis publicæ. Nam quicquid huius generis *Rochlicii* fecisse dicor, feci non inconsulto *Ministerio* vel *Magistratu*, sed utrisque ultro suadentibus & promouentibus. Quam in rem adhuc testes habeo *Rochlicienfes* meos, testes idoneos. His nemo, quisquis sit, persuadebit, *damnum* a me ipsis inde illatum fuisse. Imo & consilium istud (de iuuando præcipue instituto confessionis ecclesiasticæ, *der Kirchen-Beichte*) aperui theologis Consistorio assidentibus. Hæc omnia, abundanter a me facta & probata, legit autor *supplementi*, in apologia mea gegen den Unfug p. 51. sq. & nihilo secius prosequitur id, quod semel placuit.

Per *Halense* collegium pietatis, quod vocat, aliud intelligi non potest, quam quod *Hale* *asceticum* audit, habitum a me (finitis omnibus sacris publicis) ab anno 1697. usque ad exeuntem annum 1706. Etiam me tacente, res ipsa loquitur de seipsa per omnes ac singulos, qui interfuerunt ex tot regionibus ac prouinciis; qui nunquam indignati sunt, quod habitum fuerit, sed quod aliquando abruptum a me fuerit collegium asceticum.

At respondeo potius ad reliqua, quæ articulum de *ecclesia* illustrare possunt propius; adeoq; magis huius loci sunt. Concedimus, conciones ordinatas esse ad fidem in nobis *gignendam*, augendam & conseruandam, ad normam textus Paulini Rom. X, 14. 15. 16. 17. in *synopsi* allegati p. 360. (1). Sed ex isto textu Pauli, & praxi Paulina, non poterit cruda illa *oppositio*, quæ statim ibi sequitur, transferri ad *exempla* proposita, vel his similia, *Rochlicii* enim, præter iam dicta, conciones habere

Simul


simul solebant repeti catechetice; unde liquet, hæc esse *subordinata, non opposita*. Adstringere autem velle Pastorem ecclesie vel Professore theologiae ad solas conciones habendas aut prælectiones theoreticas, pugnat cum scopo diuino facri muneris. Nec, ut maneamus in *exemplis nostris & similibus*, modus hic *plantandi* est novus, vel ad *angulos & latibula* referendus, sed potius pro nobis fuerit illud *synopsicos*: *Modum (varium) non variare rem ipsam*. p. 302. Legatur de *non uno modo* consulendi, & de *superabundantia diuina*, in artic. Smalc. p. 329. Nec tamen unquam mihi de meis in mentem venit odiosa illa *comparatio*, quæ in *supplemento synopsicos* præfigitur, quod inde major fructus ad colloquentes, quam ex concionibus ad auditores attentos perueniat. p. 199. Quantum vero ecclesie noceat, eiusmodi nutrimenta & augmenta adificationis difficultatibus inuoluere, cum iuvare ea pro viribus, & provehere, ac recte discernere omnia, nostri in primis sit officii; deplorari satis nequit.


Fortè *damnosum* foret, si absque omni limitatione & explicatione quis dixerit de *ecclesiis* in ecclesia colligendis. Sed quinque illa loca, quæ eo tanquam *de sine collegiorum pietatis* e Spenero adduxit autor supplementi p. 201. quanquam non agunt in specie de collegiis pietatis, tamen etiam generaliora illa loca munita sunt explicatione, quæ omnem suspicionem tollit. Nam sensus consilii est: statum esse ad eo miserum, ut oporteat curam specialem impendere *paucioribus*, & experiri, quid adhuc obtineri possit in ecclesia; salua cura omnium generali. Das ist/weiß wir den großen Hauffen &c. apud ipsum Schelwigium ibidem p. 166. Qui sensus ex longe pluribus Speneri locis probari potest, si opus fuerit. Politici quidem dissuadent rempublicam in republica: at in isto modo loquendi *ecclesiastico* est mens longe alia, ut jam diximus. Qui loquendi modus nemini obtruditur; modo res salua sit, theologis & politicis commendata p. 201.


Aculeus de non demum *plantanda a nouatoribus ecclesia* infeliciter in Spenerum dirigitur p. 165. 166. Spenerus enim ibi se in extraordinario postulato defendit aduersus Virum quendam, non ignotum, qui volebat *rigidius* procedi in munere ecclesiastico, & characterem *apostolicum* in rigidiore & *vehementiore* procedendi modo collocare videbatur. Cum isto Viro iam solo agit B. Theologi epistola de applicanda rectius distinctione inter ecclesiam *plantatam & plantandam*. den Unterscheid betreffend/darauf er ein ziemliches zu setzen scheint / versichere denselben. Et sic singulari hoc respectu sequitur *à nodis*, quæ non debet omitti. Daher bey dieser neuen Pflanzung wahrhaftig große Gedult und Sanftmuth nöthig ist. Vbi nunc vestigia *nouatorum*? Extra hunc specialem casum, conferri in rem præsentem possunt Speneri consilia Latina P. 3. p. 517. Etiamque de fauore *plantandi* perpetuo valet locus ille Pauli I. Cor. 3, 4. sqq. qui legi omnino meretur; ut vult *synopsis* ipsa p. 302. Durissimam autem *applicationem* loci de *plantis eradicandis* non fieri ad mentem *Patris cœlestis*, filii genuini facile intelligent.

Animus erat, his præmissis alia accensere ex recentioribus, quæ multo strictius ad præsens argumentum pertinent. Sed festinante typographo abrumpendum fuit. Atque ita finio ultimam hanc editionem dissertationis meæ inauguralis. *Deus autem noster* (quod tum vouebam, & adhuc voueo) *suo sancto Spiritu regat ecclesiam, regat academiam* (quæ me tum fovit, regat nostram, aliasque omnes academias) *ut* (hæc & illa, & unaquæque uno in Jesu corde) *multorum sit maneatque filiorum, per medio*
ordinaria Θεοδιδουτων, alma mater! Amen!

A. 1713. m. Iulio.







the scale towards document

❁ (25) ❁

Oni Prof. Langii Rechte Mittelstrasse T. i. P. i. in
hanc materiam deduxit.

§. XXIX.

set, si quis vellet statuere, vnanimitatem spi-
oque particulari coetu, certis locis, certis re-
tis doctrinae formulis, certis ritibus & cere-
praecise circumscriptam; quippe quousque
sti patet, iam vero haec per vniuersum terra-
diffusa est, eo vsque etiam caeteris paribus fe-
tus vnitas. Fideles enim, qui de euangelio
habent eundem Christum, eundem spiritum
dem sacramenta, siue habeant easdem traditio-
sue dissimiles sparsi sunt per totum orbem LL

§. XXX.

etiam committit, si quis dicat: vnanimita-
apud illos quoque locum habere, qui quali-
ederent, Christum esse filium DEI, nobis-
vitae pie & sancte instituendae dedisse, quod
etur, vnionis sanctorum membrum existere
licet sanctissimo Christi sanguine, seu lytro
um conscientia nostra ab ira diuina liberari,
um Deo redire possit. Item, si quis aliquas sal-
Christianae partes, non vero in toto complexu
e adeo oeconomiam salutis diuinam amplexus
concordiae sic etiam membrum esse, minime
a. Momenta quaedam *deborolias* circa articulum
e reperiis in Dn. Praedidis mei diss. de *harmonia*
45. 50. 51.

§. XXXI.

etiam haud leui versatur, qui pietati tantum &
ianae studendum esse putat, vt, qui concordiae
tes esse cupiant, quomodocunque etiam se res
dendis & doctrina Christiana. Ita non minus

D talli-